Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Stoiber, Ubald

Armamentarium Ecclesiasticum complectens Arma spiritualia, fortissima, ad insultus diabolicos elidendos, & feliciter superandos ad Utilitatem omnium animarum Pastorum, sedulo ex ipso S. Evangelii fonte, SS. Patribus, & Probatissimis Authoribus collecta

Augustae Vindelicorum 1726

Regensburg, Staatliche Bibliothek -- 999/Liturg.94(1/2
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11105310-4
VD18 12105732-002

# ARMAMENTARIUM ECCLESIASTICUM

complectens

**Arma ſpiritualia, fortiſsima,**

ad inſultus diabololicos elidendos, & feliciter ſuperandos

Ad

Utilitatem omnium animarum Paſtorum, ſedulò ex ipſo S. Evangelii fonte, SS. Patribus, & probatiſsimis Authoribus collecta

à

P. Fr. Ubaldo Stoiber, Ord. Min. S. Patris Franciſci reformat. p. t. SS. Theologiæ Lectore Ordinario in Conventu Friſingenſi.

## Pars Altera.

Materiam de maleficiis curandis, & domibus, aliisque locis à ſpectris infeſtatis, expurgandis, continens.

*Cum Facultate Superiorum.*

---

*Auguſtæ Vindelicorum.*
Sumptibus Phil. Martini & Joan. Veith, Hæredum
Anno MDCCXXVI.

Fratres: confortamini in Domino & in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam DEI, ut poſsitis ſtare adversùs inſidias diaboli; quoniam non eſt nobis colluctatio adversùs carnem & ſanguinem, ſed adversùs principes & poteſtates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum; contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus: propterea accipite armaturam DEI, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. Ad Epheſ. cap. 6. v. 12.

Ad

# Ad Lectorem.

ABbſoluta tandem ſuperno opitulante Numine prima Armamentarii parte de energumenis liberandis tractante, recto ordine ad maleficiatos curandos, & domos, aliápue loca à ſpectris infeſtata, expurganda progredior. Verùm duo ſunt, quæ benovolum Lectorem præmonitum velim; videlicet *primò*, alteram hujus Armamentarii partem neceſſariò præſupponere notitiam partis prioris, ita, ut ibidem dicta fermè ſingula huc applicari non tantùm poſsint, ſed debeant. Eædem quippe virtutes, eædémque diſpoſitiones neceſſariæ ſunt ſive in curando energumeno, ſive maleficiato. *Alterum* eſt, nè quisquam falſa ducatur opinione, me ſtudioſè multis congerendis ſpeculationibus intentum: ſolam quæro praxin, ſolam proximi utilitatem; nec quidquam inſeram,


quod

quod non directè, vel indirectè praxin ſapiat, atque proximi utilitatem reſpiciat. Tu verò optime Exorciſta, cùm videris dæmones tamquam leones circumeuntes, quærentes, quem devorent, præliâre prælium Domini: exclama cum cœleſti Archiſtratego Michaële: *quis ut DEus?* ſicut prælium magnum fuit in cœlo exortum, ſic inter te & dæmones magnum exoriatur prælium: exere gladium poteſtatis tibi divinitùs traditæ, & prævalebis omnibus: pro virili dimica, neque locus eorum ampliùs invenietur in hominibus ad imaginem DEI creatis, & ſanguine pretioſo JEſu Chriſti redemptis, neque in pecoribus, nec in domibus, aliiſve locis ad hominum utilitatem productis. Fruere, & vale.

(o)

Caput

# CAPUT Primum.
## De maleficiorum eſſentia, cauſis, & effectibus.
### *Quæſtio I.*
### *De maleficiis in genere & in ſpecie.*

A Advert. Nullum eſſe ambigendi locum, quin vera dentur maleficia quòdſi enim quis eorum exiſtentiam negare vellet, tam ſacris litteris, quàm juris utriusque ſanctionibus, Hiſtoricis, Theologis, Medicis, communi omnium hominum conſenſu imò ipsâ etiam experientiâ quotidianâ facilè temeritatis & falſitatis convinci poſſet. Nec tamen facilè credendum quemquam eſſe maleficiô infectum, niſi ſigna certa, vel probabilia ſaltem id ſuadeant: de quibus abundè dictum p. 1. hujus Armamentarii cap. 2. q. 6. Unde directè ad quæſtionem deveniendo.

Dico 1. Maleficium benè deſcribitur dicendo, quòd ſit *magiæ ſpecies, qua quis ope dæmonis alteri damnum parat.* Ita P. Delrio diſq. mag. lib. 3. p. 1. q. 1. mox ab initio. Dicitur N. 1

*1. magiæ ſpecies.* nam magia diabolica genericè ſumpta eſt vis quædam ope dæmonis operandi; quamvis preſsiùs loquendo magia duntaxat ſumi ſoleat pro vi mira operandi Dicitur 2. *qua quis ope dæmonis*: ſi enim pactum & fœdus cum dæmone deſit, non erit maleficium dæmoniacum, de quo ſolo impræſentiarum agitur, quamvìs magia naturalis eſſe poſſit. Dicitur 3. *alteri damnum parat*, locô differentiæ: per has enim particulas differt maleficium à magia preſsè ſumpta, & ad ſola mirabilia operanda ordinata: differt pariter à vana obſervantia, ſuperſtitione, aliiſque magiæ ſpeciebus, prout pluribus deducunt Theologi, præſertim morales paſsim: indicant pariter particulæ iſtæ effectum maleficii, qui vulgò etiam maleficium dici conſuevit, ita, ut homines, quibus per maleficium damnum eſt illatum, maleficio infecti dicantur. Poteſt autem maleficium pro effectu ſumptum benè deſcribi, quòd ſit *prava operatio in corpore per virtutem dæmonis ex pacto tacito, vel expreſſo cum homine malefico inito, juſto DEI permittentis conſilio facta.*

Illi porrò, qui ſimilia parant maleficia, communi vocabulo malefici dicuntur, quamvìs ſecundùm diverſa eorum ſtudia, etiam diverſis inſigniantur nominibus. Sic enim *Magi* vocantur, ob obſtruſam rerum naturalium, & effectuum mirabilium notitiam, quam præſeferunt. *Venefici* dicuntur, quia

quia venenô tam homines, quàm animalia bruta interficere conſueverunt. *Incantatores:* quia verbis & carminibus opera magica perficiunt. *Sortilegi* dicuntur ob ſortilegium, quod naturaliter acceptum omnes diabolicas artes complectitur. *Sagæ* dicuntur à ſagiendo, quia in officio ſuo nimis agere, nimiáque ſcire deſiderant. *Striges* ab ave Poëtarum fabuloſa, quæ nocturno tempore infantes necare, & rapere, eorúmque ſanguinem ſugere, & abſorbere dicitur. *Lamiæ* à beſtia monſtroſa, quæ fœtus dilaniare creditur. *Pharmaceutriæ* dicuntur à Virgilio, quia pharmaca ſive noxia, ſive proficua, ſanis, vel ægròtis, propinare ſolent Communi tamen nomine vocantur *maleſici* à maleficiendo, eò quòd omni conatu ope dæmonis malum homini parare contendant.

Dico 2. Maleficium tam ex genere cauſæ efficientis, quàm finalis variè dividitur. Ita P. Delrio citatus, & patet inductione. N. 3. *Primò* ſiquidem ex genere cauſæ efficientis dividitur in naturale & ſupernaturale, ſeu potius præternaturale. Ita poſt alios Paulus Zachias Medicus Romanus lib. 3. tit. 1. q. 5. n. 47. *Naturale* dicitur, quod ſimplici, & naturali medicamento eſt procuratum: non enim dubitandum, dari quædam medicamenta, quæ ex naturali quadam virtute hominem inficiunt, coitûs potentiam adimunt, aliáſque pravas in corpore cau-

 ſant

ſant operationes: talia ergò per maleficum, aut dæmonem ipſum à malefico invocatum applicata, naturale maleficium faciunt, ſicut revera etiam dolorem purè naturalem cauſant. *Præternaturale* eſt, quod dæmonis ope ita procuratur, ut ſimul dæmon præſens ſit homini maleficiato, & corpus ejusdem ſive immediatè per ſe ipſum, ſive per commotionem humorum mirè torqueat, & vexet.

Quare maleficii diſcrepantia à vera diabolica poſſeſſione non eſt illa communiter putata, quòd in maleficio dæmon verè & realiter præſens non ſit, ſicut tamen præſens eſt in poſſeſſione; ſed hæc vera & genuina eſt diſtinctio, quòd in maleficio certam duntaxat corporis partem inhabitando vexet, & cruciet, in poſſeſſione verò totum corpus inhabitet, & jam hanc, jam illam partem, jam totum corpus ſimul miſerabiliter vexet & torqueat.

N. 4. Duabus hiſce maleficii ſpeciebus ſuperaddenda videtur tertia ex utraque participans, ita, ut ſimul dæmon corporis partem poſsideat, ſimúlque naturalem etiam dolorem & infirmitatem cauſet, prout ordinariè contingere ſolet. Quinimò, ut benè notat Delrius diſ. mag. lib. 3. p. 1. q. 1. Brognolus in Manuali p. 1. cap. 2. art. 3. q. 3. n. 117. ex maleficiis præternaturalibus fieri poſſunt purè naturalia, ita, ut licèt dæmon antecedenter maleficiato præſens fuerit,

fuerit, ſponte tamen, vel coactè per Exorciſmos ac præcepta eccleſiaſtica, per alia ſpiritualia remedia, ab ægroto totaliter receſſerit, quin ſigna malefica corpori ingeſta, aut humores maleficos prævie cauſatos ſuſtulerit. Atque hoc quidem frequenter accidere ſolet in perſonis diuturno maleficio infectis: licèt enim dæmon per præceptum ſit expulſus, ordinariè tamen aliquæ reliquiæ præcedentis infirmitatis remanere ſolent, ita, ut ſæpè incurabiles fiant.

Triplex hoc maleficium variè dividitur ſecundùm diverſitatem cauſarum naturalium, vel moralium, quæ ad maleficia concinnanda aſſumuntur, & applicantur: nam. N. 5.

*1mò.* Nocent malefici pulveribus quibusdam minutis in cibum, potúmque infuſis, vel nudo corpori affricatis, vel in veſtes diffuſis: applicant autem ſecundùm diverſam nocendi voluntatem etiam pulveres diverſos.

*2dò* Parant ſua maleficia herbis, feſtucis, avium præſertim ſylveſtrium plumis, alíisque frivolis in humum projectis, vel ſub limine domûs ſuffoſſis, quæ ſupergredientibus, quibus nocere volunt, ſæpè cauſa ſunt graviſſimorum dolorum, contractionis nervorum, imò & quandoque ipſius necis.

*3tiò* Solo halitu, afflatúque inficiunt; dæmone haud dubiè ſecundùm voluntatem maleficiorum concurrente.

*4tò* graviſsima inferunt damna ſolîs verbîs, prout ex Lucano, Virgilio, & Seneca probat Delrius citatus, & mihimetipſi quondam certus maleficus faſſus eſt, ſe homines maleficiô infeciſſe ſolîs prolatîs verbîs: Huß Teuffl: ſic credo alios maleficos ſecundùm diverſa cum dæmone inita pacta etiam aliis diverſis uti verbis & formulis.

*5tò* Rebus etiam ſacris inficiunt. v. g. aquâ benedictâ, particulîs ex caſula ſacerdotali detractîs, imò ipsâ etiam ſacrâ Hoſtiâ &c. Sic teſtante Remigio lib. 1. cap. 2. ſaga quædam aſpergendo alteram aquâ benedictâ miſeram confecit.

*6tò* inficere ſolent levi percuſſione, de qua vulgò dicitur poſſe lædere, niſi fuerint repercuſſi; de quo infrà cap. 4. q. 4.

*7mò* Denique, ut plurima alia prætercam, quidam malefici graſſantur apertiùs, ita, ut alios per dæmones ſtrangulari, vel præcipitari curent, vel puerulos noctu injectâ culcitrâ præfocent, acubus enecent: è cunis rapiant, & lancinent, vel in uſum unguentorum, vel in cibum ſibi gratiſſimum: ſæpè etiam homines per diverſi generis cibos, præſertim poma & pyra porrecta inficiunt, de quibus vide Delrium locô citatô, Brognolum in ſuo Alexicacon

Diſp,

Diſp. 3. fuſiſſimè hac de materia tractantes.

*Secundò* diviſione ex fine petita dividitur in maleficium ſomniferum, amatorium & hoſtile. Ita citatus P. Delrius, Brognolus in Manuali p. 1. cap. 2. art. 2. q. 1. *Somniferum* inferunt, dum homines potione aliqua, vel malo carmine, aut certis ritibus ſoporant, ut interea eis venenum infundant, vel infantulos rapiant, aut enecent, vel furtô quid ſubtrahant, ſtuprô, adulterióve mulierem contaminent, aut viris per tactus impudicos pollutionem procurent. Hæc autem omnia dæmones facere poſſunt vel naturalibus ſoporiferis venenis, vel immediatè per ſe ipſos aliqua ſpirituum commotione hominem ad ſomnum diſponendo. Plura hujus exempla vide in Delrio diſq. mag. lib. 3. p. 1. q. 1. N. 6.

*Amatoriô* maleficiô homines infici dicuntur, dum dæmon ſuis maleficiis philtra & pocula amatoria propinando, vel immediatè per ſe ipſum phantasmata perturbando ad amorem tam validè allicit, ut non amare, ſed furere videantut. Interim, ut benè notat Delrius locô citatô, Brognolus pariter locô citatô, hiſce philtris nullius voluntas cogi poteſt ad aliquem amandum, licèt imaginatio poſſit perturbari, humores concitari, & totum corpus interius quaſi accendi, adeò, ut dæmone interius variis tentationum illecebris certante,

tante, homo quaſi æſtro quodam libidinis vexetur, & vehementer ad deſiderium carnale trahatur: rationem hujus dat S. Bonaventura in 2. d. 25. p. 2. q. 5. & cum eo Theologi communiter omnes; quia de ratione voluntatis eſt, eſſe liberam, atque liberè, ac voluntariè ferri in objectum ſuum: quòd ſi ergò voluntas à diabolo cogi poſſet, ſimul liberè, & coactè, voluntariè, & involuntariè vellet, quod haud dubiè impoſſibile eſt.

Porrò, ut habet Grillandus de ſortileg. q. 3. & q. 5. maleficia amatoria fieri poſſunt vel intra, vel extra corpus. In corpore per cibum & potum, ſive eſculenta & pocculenta, in quibus res ſacræ, ùt Hoſtiæ conſecratæ, aut non conſecratæ, ſed notis magicis inſcriptæ frequenter admiſcentur. Extra corpus per aliquas mixturas compoſitas ex herbarum foliis, radicibus, reptilibus, metallis, plumis avium, membris animalium, capillis, unguibus, aut veſtimentorum fragmentis, quæ adhibitis certis ligaturis in tunica maleficiandi involvuntur, & conſuuntur, vel ſub pulvinari, aut lecti involucris, aut ſub limine oſtii domûs, aut alio loco, per quem maleficiandus tranſiturus eſt, abſconduntur. Hæc ille. Sunt etiam talia philtra adeò vehementia, ut inſaniam, imò mortem ipſam inducant. Vide Delrium l.c. Brognolum in Alexicacon Diſp. 3. à n. 650. latè de hoc diſcurrentes.

Hoſti-

*Hoſtile* maleficium vocatur, quidquid N. 7.
ope dæmonis in bonis animæ, corporis, aut fortunæ damnum infert, aut ſaltem aptum eſt inferre. Subdividitur in plures ſpecies, videlicet in faſcinationem, in maleficium venenarium, in maleficium abortûs, difficilis partûs, lactis exſiccationis, in maleficium odii, & alias adhuc ſpecies, de quibus plura in progreſſu. Quare ſit

## *Quæſtio ſecunda.*

## *Quid & quotuplex ſit faſcinatio, ac quomodo fiat?*

DIco: Faſcinationem trifariàm poſſe N. 8.
accipi: alia ſiquidem eſt vulgaris ſeu poëtica, alia naturalis & philoſophica, & alia magica. Ita Delrio diſq. mag. lib. 3. p. 1. q. 3.

*Vulgaris* ſeu *poëtica* à Poëtis nomen ſortita, aliud non eſt, quàm infectio, qua quis alterum ſola viſione ſeu aſpectu activo, vel etiam laude iuvidô facta animô inficit, imò etiam quandoque perimit, fermè, ſicut baſiliſcus ſola viſione dicitur enecare hominem. Hæc autem opinio plurima peperit opinamenta: *Primò*, hoc periculum potiùs imminere pueris, quàm adultis, pulchris, quàm deformibus. *Secundò* hoc periculum removeri quibusdam euphymiis, v. g. ſi benè precentur iis, quos cum laude & admiratione intuentur.

Verun-

Veruntamen hanc faſcinationem cum ſuis remediis ſuperſtitionis damnant SS. Patres, Baſilius, Hieronymus, Chriſoſtomus apud Remigium quod l. 3. q. 12. Delrium l. c. cùm nulla hujus poſſit naturalis, vel ſupernaturalis ratio reddi, quomodo homo ſolo aſpectu ſine alia qualitate vitioſa, & venenata, alium ita faſcinare, aut quomodo iis mediantibus nugis curari queat.

N. 9. *Naturalis* & *philoſophica*, ſeu *phyſica* faſcinatio eſt vaporis virulenti à corpore noxio natura ab alio diſſidente aporia, qua alienum corpus halitu, & ſpiritu per viſum, aut contactum inficitur. Vel eſt effluxus quidam ab oculis & corpore faſcinantis virulenta qualitate conſpicuus, ex quo illud recipiens corpus inficitur. Ita Paulus Zachias lib. 7. tit. 4. q. 4. n. 5. plurimos alios referens. Delrio, Richardus locis citatis.

Quare non ſola viſione & aſpectu cauſatur faſcinatio, ſed per venenatam aliquam qualitatem manentem in putridis humoribus, ant vitioſa complexione ipſius intuentis: hæc autem qualitas communicatur ſpiritibus vitalibus, qui imaginatione acriori, & attentione majori concitantur, & concitati viam quærentes ad os & oculos perveniunt, atque erumpentes aërem proximum ſuo viru inficientes, etiam adſtantes, præſertim teneriores, inficiunt. Potiſſimùm autem fæminæ vel ex ſenectute, vel certè alia de cauſa defectum menſtrui

ſtrui ſanguinis patientes his virulentis abundant qualitatibus, ita, ut naturaliter ſæpè tenellos inficiunt puerulos: ſed hæc faſcinatio impropria eſt, & à Medicis dijudicanda.

Faſcinatio denique *magica*, quæ pro- N. 10.
priè eſt hujus loci, benè deſcribi poteſt, quòd ſit *pernicioſa qualitas dæmonum arte illata, ob tacitum, vel expreſſum hominis cum dæmone pactum.* Ita in re S. Hieronymus explicans verba D. Pauli ad Gal 3. v. 1. *quis vos faſcinavit non obedire veritati?* S. Chriſoſt. aliique paſſim fusè à Patre Delrio citati. Solent enim nefarii illi homines cum dæmone paciſci, ut quos lividè, vel iracundè aſpexerint, iis dæmon perniciem inferat, & ſæpè omninò interficiat.

Eſt hæc faſcinatio non ſolùm particularibus quibusdam hominibus arte magica præditis, ſed quibusdam etiam populis frequentiſſima, veluti narrat Paulus Zachias locô citatô ex Langio, Gellio, & aliis de Africanis: hi namque, ſi quas pulchras arbores, lætiores ſegetes, amæniores infantulos, egregios equos, pecudes paſtu, atque cultu opimas impenſiùs laudaverint, omninò contabeſcunt, & emoriuntur. Veruntamen hæc omnia non aſpectui, ſed diabolo ceu cauſæ nocenti adſcribenda ſunt.

*Qua-*

## Quæſtio tertia.
## De maleficio venenario.

N. 1. Advert. Per maleficium venenarium hoc loco intelligi omnem illam pravam operationem ope dæmonis factam, qua ſive per venenum naturale, ſive morale malefici creaturas inficiunt. Duplici autem potiſſimùm modo ſua maleficia conficere ſolent: *Primò* operâ ſolius diaboli: ſi enim quacunque de cauſa immediatè per ſemetipſos vel nolunt, aut certe pro voto expeditionem maleficii fieri poſſe non credunt, totam executionem dæmoni committunt, qui ſubitaneâ violentiâ ad votum eorum hominibus, pecoribus, aliiſque ad uſum hominum pertinentibus damnum infert, cujus exempla refert Remigius in ſua dæmonolatria lib. 2. cap. 10. *Secundò* maleficia conficiunt adhibitis rebus naturalibus: quod denuò dupliciter contingere ſolet, videlicet adhibitis rebus naturalibus ùt cauſis naturalibus, vel ùt cauſis moralibus maleficii.

Cauſæ *naturales* maleficii ſunt, quæ vim nocendi à natura inditam habent, atque naturaliter agunt in eum, cui vel ingeruntur interiùs, vel applicantur exteriùs: in confeſſo ſiquidem eſt, dæmonem non ſemper præſtigiosè, ſed quandoque verè & realiter operari, præcipuè, cùm infirmitates,

tes, incendia, tempeſtates, & id generis mala excitare deſiderat. Poteſt autem dæmon hoc duobus modis perficere, videlicet *primò* per motum localem, ita, ut humores connaturales commovendo, vel aufferendo noceat. *Secundò* per alterationem, activa paſſivis applicando, qui modus ipſi, DEO permittente eſt facillimus: novit enim rerum in univerſo contentarum vires, ſympathias, & antipathias, quas applicando mirè noxia tam in hominibus, quàm omnibus reliquis ad uſum hominum pertinentibus, producere poteſt.

Cauſæ *morales* maleficiorum ſunt res N. 12. illæ, quæ virtutem non habent ex ſe producendi effectus maleficos, ſed tantùm ob pactum cum dæmone vel explicitè, vel implicitè initum, cauſæ ſunt morales, vel potiùs conditiones, ſine quibus non, dæmon ad placitum maleficorum producit effectum: nam dæmon cum maleficis pactum inire ſolet, quòd ad poſitionem certorum ſignorum nocumentum inferre velit: conſequenter ſigna illa ex ſe nullam, nec phyſicam, nec moralem habent efficaciam, ſed ceu puræ conditiones dæmonem invitant & diſponunt ex pacto producendi effectus maleficos. Neque ſigna illa certa ſunt, & infallibilia, qualia ſunt Sacramenta. ſed falſa, & deceptoria: ſiquidem dæmon ſæpè à malefico invocatus deficit in promiſſis, vel, quia divinitus nocere non per-

mittitur, vel certè, quia ſic lubet. Vult nihilominus adhiberi ſimilia ſigna, ut ſicut DEus per ſigna ſacramentalia, ita ille per ſigna colatur malefica, prout docet D. Auguſt. lib. 21. de Civit. DEI. cap. 6. dicens: *Dæmones alliciuntur per varia genera herbarum, lapidum, lignorum, animalium, carminum, rituum, non ùt animalia cibis, ſed ùt ſpiritus ſignis, in quantum ſcilicet hæc eis exhibentur in ſignum divini honoris, cujus ipſi ſunt cupidi.* H. N.

N. 13. Dico: dantur, Deo ſic permittente, maleficia venenaria, quibus malefici complures mortales morbis graviſſimis, & morte afficiunt. Ita ex S. Auguſt. lib. 10. de Civitat. refertur Can. *nec mirum* 26. q. 5. Idem ad longum habetur deciſum in ſeptimo Decretalium integro titulo 12. de maleficis, & incantatoribus, præſertim cap. 4. ubi ex Innocentio VIII. plurimi effectus hujus maleficii referuntur.

Sed nec deſunt hiſtoriæ omnium gentium luce meridiana clariùs intentum demonſtrantia. Sic refert Villamontius, Venetiis fuiſſe maleficum, qui damnatorum ad triremes animas emebat, promittens liberationem à tetra illa ſervitute pœnæ, numerans decem aureos pro cujuslibet anima, quam etiam, proprio ſanguine ſubſcripto, dæmoni devovebat. Sed ne fœdifragi fierent, mox certo applicato veneno ſubitò necabat. Plura ſimilia refert Joannes Nider Formicarii lib. 5. Jacobus Sprenger in

Mal-

Malleo Maleficorum, Delrio in diſq. mag. pluribus in locis paſſim, ita ut meritò arguatur, non fuiſſe ullum præterlapſum tempus, quo malefici ſuis præſtigiis non nocuiſſent. Sed nec moderna noſtra tempora à peſtiferis illis machinamentis immunia ſunt; imò magìs fortè, quàm omni retrò ſæculo infecta, & coinquinata. Teſtantur hoc lugubres experientiæ quotidianæ, teſtantur maleficiati complures miſerè infecti, prout pluribus confirmare poſſem exemplis noviſſimis, niſi contra ſæpè promiſſam brevitatem me peccaturum timerem.

Cæterùm, prout optimè poſt Grillandum docet Delrio diſq. mag. lib. 3. p. 1. q. 3. malefici per cauſas naturales triplici modo ſua maleficia conficiunt, videlicet per introſumptionem, per applicationem exteriorem, ſeu contactum, & denique per inhalationem, de quibus vide Authorem citatum. Ordinarius tamen modus maleficiandi eſt vel per poſitionem ſignorum moralium, vel certè immediatè per dæmonem ipſum, prout etiam fatetur Delrio locô citatô dicens, maleficium per veneni veri introſumptionem vel inhalationem rarò contingere. N. 14.

## *Quæſtio quarta.*

### *De aliis adhuc maleficii ſpeciebus.*

N. 15. DIco: Maleficii præſertim hoſtilis plurimæ adhuc ſunt ſpecies, quarum potiſſimæ ſunt ſequentes.

*Primò. Maleficium abortûs*: ſolent enim malefici tum fæminis, tum pecoribus fætoſis abortum procurare; prout exemplis adductis teſtatur Joannes Nider lib. ult. Formicarii. Delrio loc. cit. Remigius lib. 2. cap. 7. Sprenger, & alii paſſim.

*Secundò. Maleficium difficilis partus*, ita, ut ſummis doloribus longè adhuc intenſiores ſuperaddant, de quo pariter Authores citati. Quare optimè facturum judico Exorciſtam illum, qui fœminas præter morem difficulter parturientes ſacris Benedictionibut muniat, imò & conditionatum contra dæmonem, partum fortè impedientem, præceptum ſuperaddat.

*Tertiò. Maleficium lactis exſiccationis.* Hoc maleficium frequenter accidit vaccis, prout ſatis frequens experientia me docuit; & quandoque fæminis, de quo Authores relati.

*Quartò. Maleficium impedimenti butyrizationis.* Hoc præ reliquis frequentiſſimum eſt: ſolent enim malefici vel lac corrumpere, vel impedire ſaltem, ut poſt diutinos labores nullum efficiatur butyrum,

prout

prout ſæpiſſimè conqueruntur fæminæ. Verùm facillimè tollitur per præceptum in SS. Nomine JEſu factum: juſſi enim non ſemel, ut ipſæmet fæminæ, dum ſeſe ad mulgendum præparant, factô ſignô crucis præceptum efforment, ne dæmon mulſionem impediat, aut lac corrumpat; atque ante actualem butyrizationem faciendam idem repetant præceptum, ne dæmon eandem impediat; & ſemper felici ſucceſſu.

*Quintò. Maleficium frumenti averſionis, vel ablationis*, vulgò Billmenſchnitt. Hoc ſatis frequens eſt in terris quibusdam, quantúmvis fortè in aliis ſit incognitum. Solent enim malefici in Feſto Pentecoſtali, & Feſto S. Joannis Baptiſtæ ante ſolis ortum omnibus veſtibus denudati, falce aut alio conſimili inſtrumento pedibus appenſo agrum per medium, aut certè per extremitates circumire, atque ita partem frumenti hoc pacto diabolico demetere, ut à Domino legitimo in horreum invectum, atque ſuo tempore excuſſum, ipſi pariter ſuum excutiant, dæmon verò grana plura vel pauciora ſecundum diverſitatem pacti avertat, ſuúmque in horreum invehat: quia nihilominus pactum hoc ordinariè eſt illimitatum, ita, ut quidquid fuerit excuſſum, avertatur, & in horreum malefici à dæmone invehatur, ſolent quidam advertentes factum fuiſſe maleficium unà cum frumen N. 16.

to ſupponere & excutere juniperos : & revera dæmon non frumentum duntaxat, ſed & particulas à junipero decidentes vi pacti præcedentis in horreum malefici invehit; unde triturantium admiratio mira, malefici verò ſumma confuſio, ita, ut ſæpè præ timore veniam petiturus accurat.

N. 17. *Sextò. Maleficium ingeſtionis rerum ſolidarum in corpus humanum.* Mirus planè, imo vix non prodigioſus effectus, quòd non raro æger per os, aut S. V. ſeceſſum ejiciat ſpinas, oſſa, ligna, ſaxa, clavos ferreos, acus, fruſta vitrorum, cultros, glomos pilorum, pannos, & alia hujusmodi, prout frequens teſtatur experientia : novi ego duas Friſingæ perſonas advenas non ſolùm maleficiô ligaminis pedum, ita ut incedere nequiverint, ſed & maleficiò ingeſtionis rerum ſolidarum infectas : primo maleficio per præceptum in SS. Nomine JEſu factum faciliter ſuccurrit Exorciſta, nihil de altero ſuſpicatus : veruntamen, cùm graves etiamnum in corpore dolores ſentirent, ad præceptum Exorciſtæ, rerúmque benedictarum ſumptionem diverſorum generum ejecerunt fragmenta, & tandem ſuperno opitulante Numine ſucceſſivè ſanitati priſtinæ ſunt reſtitutæ. Alium novi Religioſum pium, & devotum, cui mulier quædam ecligma, vulgò Latwergen/ ad portam attulit, quod ipſe deguſtans toto corpore graviſſimos cæpit ſentire dolores; tandem nulla

nulla proficiente medicina corporali, maleficium eſſe ratus, oleum benedictum ſumpſit, & ſubitò diverſa ex ore fragmenta ejecit. Alia exempla non deficerent plurima. Verùm modus tales res ſolidas corpori ingerendi ſatis eſt obſtruſus, & abditus.

Tres tamen potiſſimùm modos aſſignant Authores apud Brognolum in Alexicaco Diſp. 4. à n. 796. Delrio diſq. mag. lib. 3. p. 1. q. 4. ſect. 6, *Primus* eſt per extenſionem & occluſionem pororum, ita videlicet, ut hi ita dilatentur à dæmone, ut hæc duriora inſeri poſſint, rursúmque, iis inſertis, ita claudantur, ut hujusmodi nullum remaneat veſtigium. Verùm modus iſte ingentem pororum dilatationem ſupponit, quòd meritò cenſetur quaſi impoſſibile. *Alter* eſt per diviſionem eorum, quæ ingerenda ſunt; aſſerunt enim ſectatores Sylveſtri Prieratis, dæmonem res ſolidiſſimas dividere, & comminuere in partes minutiſſimas, etiam inſtar pulveris, tum eas ita diminutas, & corpori ingeſtas, iterum unire, compingere, atque in priſtinam formam, & molem reſtituere. *Tertius* modus eſt ingerendi res duras per vulnus citiſſimè apertum, & conſolidatum, per quod materia dura introducitur. Hic modus videtur facilis in partibus carnoſis, difficilis in orificio ſtomachi, gutturis, arteriis, & aliis organis: non enim tam fa- N. 18.

 cilè

cilè videtur has partes ſubitò aperiri, & ſubitò conſolidari; quamvis fortè nec hoc diabolo artifici ſubtiliſſimo videatur impoſſibile. His quartus videtur ſuperaddendus, quòd videlicet tales res ingerere poſſit dæmon per oris, & orificii dilatationem: ſi enim per haſce partes ejiciantur prout experientia comprobat, etiam per eaſdem ingeri poſſunt: & hic modus videtur ordinarius, ſi ſimilia in ventrem ingeruntur.

N. 19 Cæterùm, prout optimè advertit P. Delrio, dæmones ſic poſſunt illudere ſenſibus, ut quis putet iſta in corpus ingeri, vel egeri, cùm tamen reverà talia non fiant, ſed dæmones duntaxat ita apparere faciant: quod veroſimillimum eſt contingere, quando res ita egeſtæ paulò poſt cernuntur evaneſcere. Præterea poſſunt ab eis citra fictionem res hujusmodi in os immitti, & ejici, quaſi ex ventre ejicerentur. Denique poſſunt hominem ita diſcruciare, quaſi ejiceret, & ipſi interim ſimilia apponere, quaſi ex corpore egeſta forent. Negandum tamen ſine gravi temeritatis nota non videtur, ſimilia ſæpè in corpus ipſum ingeri, & per Chyrurgos exſcindi, prout ſæpè experientia comprobavit.

N. 20. *Septimò, Maleficium ligaminis* frequentiſſimum, ita, ut conjuges vel actum conjugalem exercere, vel certè ſemen debitô modô decidere nequeant. Modi hoc maleficium

ficium perficiendi plurimi ſunt, atque perſonis maleficis haud dubiè melius, quàm mihi cogniti. Cauſæ verò proximæ hujus impotentiæ octo potiſſimùm traduntur à Doctoribus. *1ma*, dum dæmon conjugem unum alteri reddit odioſum, ita, ut præ odii vehementia alteri appropinquare nequeat. Amant ſimiles frequenter abſentes, odiô perſequuntur ſibi præſentes. *2.* Dum corpora impedit, ne ſibi invicem appropinquare poſſint, vel phantaſma quoddam inter medium collocat, eos à mutuo amplexu abſterrens & impediens. *3.* Dum ſpiritus vitales prohibet tranſire ad membra genitalia, ſicque ſeminis deciſionem impedit. 4. Dum membrum virile flaccidum reddit, & ita ineptum ad uſum conjugalem. *5.* Dum ſemen prolificum exſiccat, & ſubtrahit. 6. Dum naturalia applicat pharmaca generationem impedientia, qualia plura deſcribuntur à Medicis. *7.* Dum viri virilia prorſus abſcondit, ita, ut nec videri, nec palpari queant, cujus plura videre licet exempla apud Schottum, & alios. *8.* Denique cauſa eſt muliebrium obſeratio, vel nimia coarctatio: licèt enim hæc ex naturalibus cauſis oriri poſſit, ſæpè tamen à dæmone provenire in comperto eſt.

Dividitur hoc maleficium ligaminis *1mò* in abſolutum, & quoad omnes perſonas, & in reſpectivum, ſeu quoad certam

duntaxat perſonam. Sic vir quidam canitie venerandus, mihi retulit, ſe etiamnum juvenem hoc maleficio ligatum nullo modo potuiſſe appropinquare fæminæ: dum vero inſolitum hoc impedimentum ex maleficio ortum, & à certa priùs adamata perſona proveniſſe putaret, eam ſub ſchemate prioris familiaritatis ad ſecum deambulandum invitaſſe, atque ſub patibulum deductæ ſtrictô gladiô occiſionem fuiſſe minitatum, nî ſubitò maleficium tolleret: expaveſcens illa fatetur culpam, pollicetur meliora, & reverà mox maleficium ablatum ſenſit. *2dò* Dividitur in perpetuum, & temporaneum, de quo ſpecialiter quæſtione mox ſequenti.

N. 21. Cæterùm, quia impedimentum ligaminis pariter ex frigiditate provenire poteſt, ſequentia ſigna unum ab alio dignoſcendi deſervire poterunt.

1. Si vir coitum appetit, virgam erigit; dum autem fæminæ appropinquat, relaxantur, & concidunt organa, ſignum eſt maleficii: ſi enim frigidus foret, virgam erigere non poſſet.

*2.* Si vir movetur ad coitum accedente erectione debita membri, quin ſemen debitè decidere poſſit, ſignum eſt maleficii; niſi hoc fortè ex arctitudine fæminæ aliáve cauſa naturali proveniat.

*3.* Si vir reſpectu unius eſt ligatus, potens tamen ad alias, ſignum eſt maleficii, ùt

ùt apud P. Sanchez de Matrim. Diſp. 94. n. 6. docet Gloſſa, Hoſtienſis, & alii: Excipe tamen, niſi fortè arctitudo, virginitas, aut alia ratio naturalis obſtaret: de quo præter alios videre juvat Paulum Zachiam lib. 3. tit. 1. q. 6.

4. Si vir appetens coitum, accedere volens ſubitò exhorreſcit, nec accedere poteſt, pariter ſignum eſt maleficii. Idem eſt, ſi mulier viri avida ſine alia ratione ita eum exhorreſcit.

5. Tandem ex octo modis ſuprà relatis ſatis dignoſci poteſt, an impedimentum ſit ex frigiditate, vel maleficio.

*Octavò. Maleficium adhæſionis corporalis inſeparabilitatis viri & fœminæ.* De quo in urbe Karentina terribile factum enarrat Saxo Grammaticus lib. 14. Hiſt. Dannorum: Erat haud dubiè hæc ultio divina, quæ ſæpiùs modernô ſæculô repetita homines laſcivos magis continentiam doceret. N. 22.

*Nonò. Maleficium devovendi.* Hoc contingit, dum malefici bruta animalia, vel etiam homines dæmoni devovent, & quaſi mancipant, ita, ut eosdem poſſidendi, & mirè divexandi accipiat poteſtatem. Difficile quidem creditu videtur, hanc maleficis competere facultatem; veruntamen id reverà non rarò contingere, ſuadetut pluribus tum SS. Patrum authoritatibus, tum exemplis. Id enim docet S. Hieronymus in vita S. Hilarionis, Anaſtaſius Nicenus de N. 23.

Simo-

Simone mago, Cæſarius, & alii, prout fusè refert, & exemplis comprobat P. Delrio diſq. mag. lib. 3. p. 1. q. 4. ſect. 6. Brognolus, Thyræus, Codronchus, & alii. Hæc autem immiſſio malorum ſpirituum non provenit à facultate cogendi dæmones, cùm nulla maleficis competat ſuper eos ſuperioritas, ſed, DEO permittente, ex pacto diabolico. Nec credendum, maleficos quoscunque homines ſic poſſe devovere dæmoni, ſed illos duntaxat, quos ob gravia peccata, aut alias occultas, juſtiſſimas tamen rationes divina permittit juſtitia, de quo dictum p. 1. cap. 2. q. 4.

N. 24. *Decimò. Maleficium taciturnitatis*, quo dæmon ita linguam impedit, nè verbum proferre quis poſſit. Hoc maleficio ſæpè, imò ordinariè inficiuntur ipſimet malefici, dum ad torturam rapiuntur: licèt enim omnibus excogitabilibus afficiantur tormentis, nullum tamen crimen fateri poſſunt. Vidi pariter Friſingæ in domo infirmorum quandam fœminam à Parentibus hæreſi Lutherana infectis natam, ſed ad fidem Catholicam ante plures jam annos converſam: hæc poſt adventum ſuum pluribus hebdomatibus nec verbum proferre poterat: quare maleficium ſuſpicatus præcepi diabolo, ut ſi reverà præſens ſit, à tota potentia locutiva recedat, & perſonam SS. Nomen JEſu deprecando eloqui ſinat: verùm, cùm illa formatô præceptô locò invocationis in

phre-

phreneſin incideret, oculos mirô modô gyraret, ac denique totum caput ad dorſum usque inverteret, majori fiducia præcepi, ut dæmon ipſam ab omni vexatione immunem SS. Nomen JEſu invocare ſinat: Et ecce! in momento deperdita phreneſi paruit.

*Undecimò. Maleficium diverſorum morborum*: nulla quippe infirmitas naturalis eſt excogitabilis, quam verſipellis hoſtis imitari non ſtudet. Frequentiores nihilominus morbi videntur ſequentes. N. 25.

1. Maleficiati cibos peſſimos appetunt, & ſuper cibis ſubſtantialibus ſtomachantur.
2. Quidam cibum ſumptum retinere non poſſunt, à continuo vomitu moleſtati.
3. Nonnulli ſentiunt bolum à ſtomacho aſcendentem ad guttur, quem evomere videntur, & tamen ad priſtinum locum deſcendit.
4. Quibusdam videntur cibi ſemper indigeſti, ſentiúntque onus grave ſuper ſtomacho.
5. Alii frequentem pulſationem in collo, vel dolorem in renibus ſentiunt.
6. Quibusdam ſæpè fiunt ſincopæ ſeu ſingultus, & præcipuè unâ & eadem horâ.
7. Alii, & quidem ùt plurimùm, præter naturam toto corpore extraordinariè extenuantur, & debilitantur cum ſummo

mo languore, & mentis ſtupiditate, ac variis melancholicis deliriis.

8. Laborant pariter diverſis febrium generibus, Medicis multùm negotii facientibus: habent etiam convulſiones, ita, ut epileptici videantur: alii phreneſi laborant frequentiſſima.

9. Aliquando omnes corporis partes tumefiunt, aut talem in corpore ſentiunt laſſitudinem, ut vix ſe movere poſſint.

10. Sæpè cor in tantùm affligitur, ut videatur lacerari à canibus, morderi à ſerpentibus, clavóque ſeu acu transfigi, conſtringi, & ſuffocari.

11. Aliquando membra videntur flagellata, conſtricta, & quaſi dilacerata.

12. Nonnullis viſcera torquentur, & venter repentinè inflatur, ac per interna viſcera, ac ſi eſſent vacua, quaſi ventus diſcurrit.

13. Aliis videtur, quaſi mures in toto corpore diſcurrerent. Alii quaſi formicas diſcurrentes ſentiunt.

14. Quidam graviſſimos dolores dentium, vel oculorum ſentiunt, quaſi acubus pungerentur.

15. Sæpiſſimè, imò ordinariè gravantur maleficiati à melancholico humore, quorum alii adeò infirmantur, ut nec loqui, nec cum hominibus converſari velint.

16.

16. Alii præ vehementia dolorum horrendè clamitant, ita; ut nulla vi contineri queant.
17. Denique aliis diverſîs adhuc morbîs etiam lethalibûs afflicti laborant, peritis etiam Medicis incognitîs: quibus proin prudentia Exorciſtæ ſuccurret.

## *Quæſtio quinta.*

### *An detur, & quid ſit Maleficium perpetuum, quid temporaneum?*

ADverte tanquam certò tenendum; dari maleficium perpetuum: Sic enim C. fin. 33. q. 1. definitur, impotentiam ex maleficio conſurgentem; ſi illud ſit perpetuum, dirimere matrimonium: Veruntamen magna vertitur controverſia, quandonam maleficium ſit dicendum perpetuum, quandonam verò merè temporaneum? plures ſiquidem tum ex antiquioribus, tum etiam recentioribus exiſtimant, tunc maleficium dici perpetuum, ſi ſignum ejusdem poſitum non ſit ampliùs in poteſtate Sagæ, vel malefici, ita, ut induſtriâ humanâ tolli nequeat: ſunt etenim hujus perſuaſionis, tamdiu perſeverare maleficium formale, ſeu afflictionem factam à dæmone, quamdiù perſeverat maleficium materiale, ſeu ſignum maleficii poſitum. Sed hanc perſuaſionem nec Evangelio, nec

Pa-

Patribus, nec etiam rationi eſſe conformem, infrà c. 4. q. 3. dicemus. Alii apud P. Sanchez de Matrim. Diſp. 94. n. 11. cenſent, tunc maleficium eſſe perpetuum, ſi à ſolo maleficii authore per aliud maleficium auferri poſſit: Sed ſuppoſitum fallit manifeſtè quaſi ſublatio maleficii unquam à ſolo dependere poſſit maleficii authore: major etenim poteſtas cuilibet Exorciſtæ deſurſum data eſt, quàm cuilibet alteri, præſertim homini malefico: ſi ergò hic maleficium alio mediante tollere poteſt, id faciliùs certè quilibet tollit Exorciſta poteſtate ſibi divinitùs tradita. Quare

N. 26. Dico: Maleficium tunc cenſetur eſſe perpetuum, quando à ſolo Deo per miraculum auferri poteſt. v. g. ſi à diabolo in corpore obſeſſi vel maleficiati corruptum ſit aliquod organum, vel membrum aliquod ita debilitatum, quod viribus naturæ haud ampliùs reſarciri queat. Quin imò, tunc non ampliùs eſt propriè dictum maleficium, ſed duntaxat maleficii effectus, vel maleficium purè naturale, de quo ſuprà dictum q. 1.

Quare nullum maleficium dici meretur perpetuum, ubi omnia membra humana benè etiamnum diſpoſita, & necdum ſunt corrupta: Fit enim ope dæmonis, quo rejecto totum ſublatum eſt maleficium, prout frequens experientia me docuit: vidi quippè alios maleficiô infectos in pedibus, ita, ut

ut diu noctûque intenſiſſimos ſentirent dolores, nec ambulare poſſent : vidi alios in ſtomacho, alios in ventre, alios in aliis partibus maleficiîs infectos, & feliciſſimè per præceptum in SS Nomine JEſu factum ſine alia medicina corporali curatos. Sed, ut veritatem fatear, vidi & alios, diuturniori præſertim maleficiô infectos; etiam per præceptum ſæpiùs iteratum non curatos : ſed unicum (meô quidem judiciô) erat obſtaculum, corruptio membrorum à dæmone facta; prout in caſu ſimillimo optimè diſcurrit Frognolus in Alexicacon de curat. diabol. Diſp. 1. n. 14. Optima ergò in maleficiis curandis eſt Regula illa communis :

*Principiis obſta, ſerò medicina paratur,*
*Cùm mala per longas invaluêre moras.*
*Sed propera, nec te venturas differ in horas.*

# CAPUT Secundum.

## De curatione diabolica maleficiorum.

### *Quæſtio prima.*

### *An liceat maleficium tollere per aliud maleficium?*

N. 27 ADvert. Nullum eſſe dubium, ſæpè morbos hyperphyſicos per artem magicam poſſe tolli, & auferri: poſſunt enim magi & veneficæ eâdem operâ, & arte diaboli, qua morbum hyperphyſicum intulerunt, eundem quoque auferre & ſanare: ſiquidem ſi maleficium ſit præternaturale, & à reali præſentia diabolica cauſatum, maleficus diabolum fortiorem invocans pellit inferiorem. Si verò ſit naturale, pariter operâ diaboli tolli poteſt: exactiùs quippe dæmones herbarum diſcrimina, vires, in medicando uſum, applicandi rationem, & modum norunt, certiùs abditas, penitúsque obſtruſas ægritudinum cauſas introſpiciunt, quàm quisque peritiſſimorum etiam Medicorum. Sed neque dubitandum, dæmones quandoque à maleficis invocatos vi pacti cum iis initi tollere & curare morbos maleficos, ut vel ſic ſuis mancipiis ex pacto morem

morem gerant, eóſque in officio maleficiandi, impiáque credulitate retineant: inſuper & miſerorum ægrotorum, qui maleficorum operâ curari volunt, fiduciam omnem à vero DEO ad ſe convertant, tandémque vel in extremum animæ periculum præcipitent, vel ſi DEO prohibente, ùt crebrò contingit, ab ejuſmodi morbis ſatanæ operâ liberari nequeant, conſcientiam ipſorum affligant; num fortè ad deſperationem poſſint adigere.

Licèt autem omnis curatio diabolica fiat operâ dæmonis, dupliciter nihilominus contingere ſolet: dæmon enim aliquando verbis, vel factis invocatur expreſſis, & formali adjuratione evocatur ex orco, ut ſecundùm pactum cum malefico initum tollat maleficium. Aliquando interpellatur duntaxat tacitè ab iis, qui nullo expreſſo pacto ejus miniſterio irretiti, tamen ſe operibus dæmoniacis immiſcent, & ad curationes utuntur; ad quorum tacitas preces ſubdolus hoſtis accedit, & occultô modô ea præſtat, quæ à ſuis oratoribus poſtulantur. Prior curatio vocatur magica, altera ſuperſtitioſa, quarum utramque ceu licitam laudat poſt alios Paracelſus præſertim in libro de morbo caduco, ubi ſequentem ponit aphoriſmum, dicens, *nihil referre, an DEus, vel diabolus, Angeli, vel immundi ſpiritus ægro opem ferant, modò morbus curetur; ſecundùm illud Zachariæ: ſalutem* N. 28.

*ex inimicis noſtris.* Idem libro de hyperphyſicis morbis docet, *oportere Medicum quandoque accedere vetulas, ſagas, Zigeneros, ruſticos, & circumforaneos, & ex ipſis artem ipſam addiſcere.* Verùm relinquendo hoc impium & nefarium dogma, & ordiendo à curatione magica.

N. 29. Dico 1. Nunquam licet curare unum maleficium per aliud. Ita communis poſt D. Thom. & D. Bonavent. Neque ſatis mirari poſſum, doctum cæteroquin P. Jacobum Sprenger in malleo maleficorum part. 2. q. 2. principali mihi fol 283. aſſerere; Scotum, Hoſtienſem, Goffredum, & communiter Canoniſtas docere contrarium. Credo Sprengerum vel ex invidia, vel ex inſcitia Doctori ſubtili, imò communi Canoniſtarum hunc pernitioſum adſcribere errorem, Scotus enim (ut reliquos taceam) nullibi de maleficiis agit, præterquam in 4. diſt. 34. q, un. ubi ſequentia habet verba: *Si per orationes Sanctorum impediatur virtus dæmonis, benè fit. Si tamen DEus illos non exaudiat, tunc ſi ſciretur maleficium, & deſtrueretur, dæmon non fatigaret eum ampliùs, quia ex pacto non aſſiſtit, niſi dum durat aliquod ſignum. Et ex hoc patet, quòd truffetica eſt illa quæſtio: an liceat tollere maleficium, intentione curandi maleficiatum? non enim ſolum licet, ſed eſt meritorium deſtruere opera diaboli: Nec in hoc eſt aliqua infidelitas, quia deſtruens non aquieſcit operibus malignis; ſed credit,*

*dit, dæmonem poſſe, & velle fatigare, dum tale ſignum durat, & deſtructio talis ſigni imponit finem tali vexationi.* En verba Scoti luce meridiana clariora, quibus docet licere tollere maleficium per deſtructionem ſigni malefici. Nonne hoc ipſum cum communi docet Sprenger. Credendum ergò, Sprengerum Scotum vel non legiſſe, vel quod verius, intelligere noluiſſe. Sed

*Probatur Concluſio breviter* : Levit. 19. DEus prohibuit : *non declinetis ad magos, neque ab ariolis aliquid ſciſcitamini.* Et cap. 20. *Anima, quæ declinaverit ad ariolos, & magos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam.* Idem habetur Deut. 19. Et Alexander III. cap. 3. de ſortilegiis, damnavit Presbyterum, qui bono fine ſuperſtitioſam divinationem expertus fuit. Hoc ipſiſſimum damnat D. Auguſt. cujus teſtimonium refertur Can. *qui ſine Salvatore* 26. q. 7. ac alibi : & rectiſſimè; nam ſublatio maleficii per aliud maleficium peſſima eſt tum ex parte agentis, tum ex parte medii, tum ex parte finis. Ex parte quidem *agentis*, ſcilicet dæmonis; licèt enim quandoque ſalutem corporalem conferat, tota nihilominus ejus curatio in æternam hominis pernitiem redundat: nec priùs ſalutem confert, quàm honorem quaſi divinum per adorationes, invocationes, & ſacrificia recipiat. Ex parte *medii* : nam, ut uni maleficiô affectô ſanitatem

conferat, ſortem miſeram in alium transfert. ùt teſtatur Delrius lib. 5. diſq. mag. ſect. 13. v. *Tertio loco.* Sprenger p. 2. de modis tollendi & curandi maleficia q. 2. Brognolus in Alexicac. Diſp. 1. de curatione diabolica n. 22. Præterea, ut ſanitatem conferat, loca ſacra, ut puta Eccleſias, Cæmeteria, imò ipſas res ſacras, ut Eucharistiam, aliáque Sacramenta in honorem divini cultûs inſtituta, violari, & tamquam pharmaca unicè neceſſaria applicari jubet. Quinimò infantes occidi, & ex iis unguentum in remedium præparari, aliáque ſceleſtia, & planè nefanda mandat & præcipit: quæ latè prælaudati Authores explicant. Denique ex parte *finis* pariter peſſima eſt: curat enim diabolus, ut ceu benefactor honoretur, & colatur. Ex hoc pro praxi

N. 30. Inf. 1. Curationem maleficii per aliud maleficium eſſe ab intrinſeco malam, ita, ut nec Summus Pontifex poſſit annuere. Adeóque non audiendus P. Sprenger l. c. mihi fol. 286. dicens, Summum Pontificem Nicolaum Papam annuiſſe, ut certus Alemaniæ Epiſcopus à maleficio per aliud liberaretur, ut ita inter duo mala minus eligeretur. Lege, ſi placet, loc. cit. hiſtoriam planè mirabilem, ſed praxin abhorre.

N. 31. Inf. 2. Non eſſe licitum à maleficis paratis petere, ut maleficiô ſolvant maleficium; licèt enim aliqui contendant id licere,

cere, fermè, ſicut ab uſurario parato licet petere uſuras; reverà tamen paritas nulla eſt, quia tunc ſolummodò à parato licet petere id, quod ipſe licitè poteſt præſtare, quando petentis intereſt, ut ſuæ neceſſitati conſulatur; ſed hoc in caſu non cenſetur poſſe maleficus licitè præſtare; ergo, &c,

Inf. 3. h. caſu: quo maleficus plura N. 32.
media ad ſolvendum maleficium nôſſet, quædam licita, quædam illicita, probabiliter ab ipſo poſſe peti ſolutionem maleficii. Ita expreſsè P. Sanchez de Matrim. Diſp. 95. n. 12. Palao de ſuperſtitione punct. 12. n. 4. Leſſius, Suarez, Ledeſma cum pluribus aliis contra Cajetanum, Delrium, & alios. *Ratio* eſt, quia ex communi ſententia licet ab uſurario petere mutuum, & ab infideli juramentum, quamvìs fortè prior non ſit mutuum ſine uſura daturus, & poſterior per Deos falſos juramentum præſtiturus: ergò pari ratione licet petere à malefico ablationem maleficii, licèt fortè hoc ſit præſtiturus per aliud maleficium: ſola enim res indifferens, ſcilicèt diſſolutio maleficii petitur, neutiquam verò maleficium ipſum, utpotè intrinſecè malum.

Duas nihilominus apponunt cautelas Authores relati, *prima* eſt, ut abſit ex parte petentis omnis cooperatio magicæ ſuperſtitionis. Quare, ſi magus velit tibi, tuíſque rebus mederi rebus vanis, & inutilibus, túque ſimilia permittis, in ipſam magiam

conſentis. *Altera* eſt, ut maleficum excites ad maleficium modô licitô diſſolvendum: ad hoc enim lege charitatis teneris, ut ſic peccatum proximi impedias.

N. 33. Inf. 4. Non licere ab aliquo petere diſſolutionem maleficii, de quo dubitas, an id modô licitô, vel illicitô præſtare poſſit. *Ratio* eſt, quia talis re ipſa oſtenderet, ſe minimè curare, an licitè, vel illicitè curetur. Similiter ſi dubitas, an medium, quo ſolvendum eſt maleficium, ſuperſtitioſum ſit, & magicum, non poteris petere, neque mandare malefico, ut illo medio maleficium diſſolvat, quia te exponis periculo peccandi: ſiquidem petis id, de quo dubitas, an licitum ſit. Idem eſt, ſi petas ab alio malefico diſſolutionem maleficii, qui tamen ignarus eſt ſigni malefici, & loci, ubi poſitum eſt: quia tacitè petis, ut maleficium faciat, cùm aliâ viâ præſumere non poſſis illum ſcire: quomodo maleficium diſſolvendum. Ita Sanchez, Leſs. Suar. Palao ſuprà citati.

N. 34. Inf. 5. Non eſſe illicitum verbis blandis à malefico petere, vel etiam minis, & levibus verberibus cogere, ut deſtruat maleficium, dummodò probabiliter credatur hoc licitè facturum. Ita pluribus relatis Brognol. in Alexicac. Diſp. 4. n. 161. id etiam exemplis confirmans. *Ratio* eſt, quia talis utitur jure ſuo, & magum duntaxat ad hoc inducit, quod per ſe facere tenetur,

tur, & ſine peccato facere poteſt, ſi velit.

Inf. 6. Licèt in dubio nemo debeat praeſumi malus, ſed bonus eſſe meritò ſupponatur; difficillimum nihilominus eſſe hanc applicare regulam hominibus plebeis, ſæpè maleficia curantibus: nam triplicis duntaxat generis ſunt remedia maleficiorum curativa, videlicet diabolica, naturalia, & moralia. *Diabolica* ex dictis ab intrinſeco mala ſunt. *Naturalia* ex dicendis parùm, vel nihil proficientia. *Moralia* tandem, experientia teſte, vix aliquando adhibent ſimiles plebei, vel ſi adhibent, pluribus ſuperſtitionibus permiſcent, ùt mox fuſiùs dicetur. Quare conſultiſſimum haud dubiè erit ſolos accedere Exorciſtas, & reliquos omnes relinquere. N. 35.

## *Quæſtio ſecunda.*

### *An liceat curare maleficia per vana & inutilia?*

ADvert. Jam ſuprà q. præc. mox ab initio dictum eſſe, aliam eſſe curationem magicam, aliam ſuperſtitioſam, quam utramque ceu illicitam communis Authorum omnium damnat conſenſus, ſi Paracelſum, alióſque malos Aſſeclas ejus excipias. Veruntamen maleficia ceu vana, rebus conſimiliter vanis poſſe tolli, & rejici, docet Hoſtienſis, Joan. Andreas, Roſella, & alii apud San-

chez lib. 7. de impediment. Matrim. Diſp. 95. n, 2. & proponunt hoc exemplum, ut ſi maleficiati facerent tria Sacra celebrari, poſteà omninò nudi vacarent operi conjugali, credentes fore, ut ſic maleficium ceſſet: hoc enim, ait Roſella, licèt vanum ſit, reverà tamen non eſt invocatio dæmonis, nec ſortilegium, nec ſuperſtitio. Veruntamen

N. 36. Dico: non licet tollere maleficia per vana & inutilia. Ita Sanchez lib, 7. de impedim. Matrim. Diſp. 95, Brognolus in Alexicac. de curatione diabolica p. 2. Sprenger, Palao, Leſſius, & alii communiſſimè. *Ratio* eſt, quia ſimilia non habent ullam virtutem à DEO, nec ab Eccleſia, nec ex natura rei, ùt omnibus videtur eſſe manifeſtum: ergò manifeſtè ex pacto diabolico. Quamvis ergò talis expreſſum cum dæmone pactum non ineat, tacitô tamen pactô eum invocat, & honorat.

Neque à culpa excuſat cautela quorundam, qui videntes ex rebus ejusmodi vanis, & inutilibus effectus ſequi mirabiles, iisdem utendo proteſtantur, ſe nullum exinde velle conſequi effectum, ſi quidquam ſuperſtitionis involvant, velle econtra, ſi bonus ſit, & licitus: nam ùt benè obſervat Sanchez citat. Similis cautela tunc proficit, & à peccato excuſat, cùm dubium eſt, an effectum habeant naturalem, vel moralem à DEO conceſſum: in caſu autem manifeſtum eſt, talem effectum nec eſſe naturalem,

lem, nec moralem, & à DEO conceſſum: ergò neceſſarium erit dicere, eſſe ſuperſtitioſum, & diabolicum.

## *Quæſtio tertia.*

### *Ex quibus regulis deſumi poſsit, media, per quæ tollitur maleficium, eſſe licita, vel illicita, & ſuperſtitioſa?*

DIco, & reſpondeo, à Doctoribus paſſim plures tradi regulas; ex quibus facile dignoſci queat, actionem eſſe licitam, vel illicitam, & ſuperſtitioſam, ex quibus ſequentes ſunt præcipuæ N. 37.

Regula 1ma. Si adhibeantur verba etiam doctioribus & linguarum peritis ignota, falſa, apocrypha, abſurda, nihil ſignificantia, non cohærentia, aut aliquid contra fidem, vel apertè falſum continentia, aut ſacra, ſed detorta ad ſenſus alienos, ad quos non ſunt ordinata & inſtituta. Vel ſi aliqua nomina DEI incognitæ ſignificationis, vel etiam Angelorum ignota nomina inſerantur. Item, ſi verba ſunt prorſus inutilia, nec deprecationem, nec invocationem, nec laudem DEI continentia, ſuperſtitionis convincuntur. Imò univerſaliter, quandocunque rei tribuitur vis & efficacia ad producendum effectum, quem nec primario nec ſecundario, nec media-

mediatè nec immediatè ex DEI vel Eccleſiæ inſtitutione aut ab ipſa natura habet, ſemper ſuperſtitio reputanda videtur. Ita DD. paſſim. Ratio clara eſt, quia talis effectus qui nullo modo ulli ex allegatis cauſis adſcribi poteſt, eo ipſo dæmoni tribui debet.

Regula 2da. Si adhibeantur etiam ſacra, & benedicta, cum promiſſione effectûs infallibiliter ſecuturi, mera ſuperſtitio eſt. Ita La Croix lib. 3. p. 1. n. 28. Brognol. in Alexicac. pluribus in locis, præſertim Tom. 2. de curat. diabol. à n. 210. & n. 318.

Regula 3tia. Si res adhibeantur naturales, vel artificiales, ùt ſigna, vel characteres ignoti, imagines, aut aliæ figuræ mirabiles: vel etiam ipſum ſignum Crucis non benè formatum, aut in loco, ubi non oportet, poſitum: vel alia ſuperfluè certis locis, ac numerô iterata, ſive in tali tantùm cartha, vel membrana, aut alio certo modo ad productionem effectus ſupernaturalis ſcripta, ſecta, vel formata, ſuperſtitio cenſenda eſt. Ita D. Thom. apud Brognol. locô citatô.

Regula 4ta. Quando efficacitas operis tribuitur certis ritibus, atque obſervantiis quibusdam peculiaribus, & ad hoc deſignatis v. g. ut fiat duntaxat hoc ante ſolis ortum, ſub certo numero candelarum, tali vel tali longitudine, niſi ex devotione fiat ad certum honorandum Myſterium. Item ſi

fiant

fiant ligaturæ certô modô, vel aliæ ſimiles obſervantiæ ſerventur, v.g. ut tantùm in dorſo portentur, vel in brachio dextro, ad collum &c. Vel tantùm in lamina argentea, aurea, vel alterius generis ſculptili ad ſe tuendum à peſte, vel à maleficiis, aut alio ſimili modo, mera ſuperſtitio eſt. Ita Brognolus citat. Niſi hujusmodi certus modus portandi vel applicandi, vel ipſamet materia portata aut applicata ex natura ſua majorem effectum habeat.

Regula 5ta. Si per orationem, aut res benedictas expectetur aliquid vanum, vel injuſtum, etiamſi verba, vel Scriptura ſancta ſit, dubitari nequit, tacitum intervenire pactum diabolicum. Ita Brognolus citat.

Regula 6ta. Si ex una parte ſciatur effectum à natura provenire non poſſe, ex altera verò dubitetur an ſit à DEO vel dæmone, præſumendum eſt eſſe à dæmone. Ita La Croix citat. *Ratio* eſt, quia, cùm res, quæ adhibetur, non ſit naturalis cauſa ſolutionis maleficii, erit tantùm ſignum, ad cujus poſitionem vel DEus, vel dæmon effectum ponet; de DEO autem talia operante neſcimus, niſi in Sacramentis & Sacramentalibus, éſtque temerarium dicere, ſemper fieri miracula; ergò plùs præſumitur, eſſe à dæmone.

Regula 7ma. Si aliqua videantur bona, aliqua autem admiſceantur redolentia ſuperſtitionem, poteris uſurpare cum ſpe
even-

eventûs, ſi removeas ſuperſtitioſa v.g. ſanitas ſpondetur puero, ſi B. Virgini offeratur candela præcisè taliter, vel taliter ponderoſa &c. ſi tu offeras magis, aut minùs ponderoſam, & ſperes ſanitatem, rectè agis. Ita La Croix citat.

Hæ ſunt regulæ generales, ſatìs demonſtrantes, quandonam aliquis effectus ſit licitus, quandonam verò illicitus, & ſuperſtitioſus. Veruntamen, quia materia hæc ſatis ſubtilis, & in praxi ſatìs periculoſa eſt, potiſſimas breviter ſecundùm regulas præfatas recenſebo curationes labe ſuperſtitionis infectas. Quare ſit

## *Quæſtio quarta.*

### *Quænam in particulari ſint potiſſimæ curationes ſuperſtitioſæ?*

DIco, & reſpondeo, ſuperſtitionem in tantum invaluiſſe, ut innumeræ poſſent adduci curationes illicitæ & ſuperſtitioſæ, quarum aliquas duntaxat referam.

N. 38. *Primò* ad ſagam cognoſcendam, vel ab ea remedium petendum quidam utuntur his verbis: *Aſſa, ſaſſa, fraſſa, jota, dotta, redotta.* Si enim verè, inquiunt, perſona aliqua ſaga ſit, & malefica, prædicta non ſuſtinebit verba, ſed indignabunda conqueretur, quid fecerit?

Alii

Alii ex feretro pueri nati, & ante receptum Baptiſmum defuncti cum certis ritibus ramum interiorem excludunt, & per foramen factum omnes ſe ſagas & maleficos cornutos videre aſſeverant.

Alii cum certis ritibus ſcopas modô inverſô ſub portam collocant, ne ſagæ domo exire valeant.

Alii maleficiô infecti ollam novam emunt, propriámque, ſ. v. urinam intromittunt, atque eandem benè clauſam & munitam igni tam diu admovent, donec ſaga præ dolore accurrat, & liberationem à maleficio promittat.

Alii, præſertim Venetæ, teſtante P. Brognolo, incurbitam (ſit venia verbo) mingunt, illámque benè obſtructam in quodam loco claudunt cum quibusdam cæremoniis, atque ita ſagam venire compellunt.

Sunt etiam, ait P. Sprenger p. 2. q. 2. quædam mulieres, quæ tali ſigno notant maleficos, ut ſi vacca ubertate lactis ex maleficio privatur, tunc urceum lactis ſuper ignem appendunt, & certis verbis ſuperſtitioſis inſiſtendo, urceum cum baculo percutiunt: atque, licèt vaſculum mulier percutiat, omnia tamen verbera diabolus ad dorſum maleficæ defert, per quæ ſic diabolus cum malefica defatigetur: facit tamen illa diabolus, ut percutientem Catholicam ad pejora alliciat. Hæc ille.

Alii apud eundem Authorem, ubi vac-

cas

cas maleficiô læſas ad paſcua ducere volunt, maleficam exploraturi, nituntur diebus potiſſimùm Feſtivis, & ſacratioribus bracam viri, vel aliud ſimile ſuper caput aut dorſum vaccæ tenere, & ita eandem bacculô cum certis ritibus percutientes expellere: vacca verò ita expulſa recto tramite ad domum maleficæ properat, & cornua in ejus oſtium vibrat, cum mago ejulatu. Ita ille.

Quidam ad maleficum cognoſcendum comburunt ſoleam equi, vel alterius animalis maleficiô extincti: vix enim admovetur igni ſolea illa, mox maleficus incredibili ardore quaſi comburitur, ac proinde accurrere ad ignem, rogaréque cogitur ut eximatur ſolea. Ita Gobat. in Theol. experim. de ſuperſt. n.942.

Alii cor animalis maleficiô enecati comburunt, atque ita maleficum venire cogunt.

Alii quidam, quorum vaccæ lac ſanguinolentum reddunt, materiam illam igni admovent, credentes hac arte aduri maleficos, ſicque vel brevì adventuros, vel certè interituros. Idem P. Gobat l. c. n. 995.

Alii tantummodò in ſpeculum magicis artibus incantatum introſpicientes, maleficum repræſentatum vident.

Alii tempore nocturno à ſtrigibus moleſtati cuſſinum dejiciunt, vel pro re aliqua precariò petenda invitant, credentes

ſtri-

ſtrigem in cuſſino remanſuram, vel altero die certò venturam.

Sed hæc omnia, & plurima ſimilia vana ſunt, inutilia, & ſuperſtitioſa, nec enim effectum à DEO ſibi appromiſſum, nec ritum ab Eccleſia toleratum, minùs approbatum habent: ergò neceſſariò à dæmone ceu magiſtro omnium ſimilium nugarum adinventum, & effectum, ab eóque ſolo expectatum.

*Secundò.* Ad morbum maleficum à naturali dignoſcendum, plura adhibent vana, inutilia, & ſuperſtitioſa. N.39.

Quidam enim, ut refert P. Sprenger in malleo malef. p.2. q.2. Nider in Fornicario, Brognolus in Alexicac. vas plenum aquâ imponunt ſuper locum corporis affectum, plumbúmque in cochleari ferreo liquatum huic infundunt vaſi, interim verba quædam obmurmurantes, & ſubitò in plumbo coagulato diverſarum rerum ſpecies repræſentantur, præſertim imago aliqua reſultat, quæ ſi puncturis lædatur, etiam in illa parte maleficus læditur, ita, ut ex illo recepto vulnere facilè dignoſcatur, aut ſi puncturæ repetantur, vel accurrere, & meliora polliceri, vel certò mori neceſſe habeat. Alii, licèt puncturis ſagam non lædant, ex diverſis tamen imaginibus ex plumbo prorumpentibus maleficium eſſe conjiciunt.

Alii apud Codroncum lib. 3. de morb. veneſ. cap. 13. Brognol. in Alexicac. Diſp. 1. de curat. diabol. n. 183. cum decoctione verbenæ ( vulgò herba S. Joannis ) ægrotum abluunt ; in qua ablutione, ſi nihil reperiatur, nec decoctio in colore immutetur, infirmum maleficiô non eſſe affectum dicunt : quòd ſi verò magna copia pilorum, & præcipuè porcorum inveniatur, eſſe argumentum efficax non ſolùm maleficii, ſed & graviſſimi, miniméque curam recipientis ; quòd ſi pili ſint pauciores, morbum eſſe mitiorem, & curam admittentem. Si decoctum illud ad nigrum colorem mutetur, ſignum eſſe præſentiæ dæmonicæ : ſi autem in alios colores mutetur, alia indicare.

Alii ſimpliciter ſ. v. urinario cineres imponunt, ut æger aquam in illud intromittat : quòd ſi certi pìli, vel alia ſimilia in illo inveniantur : maleficium reputant : ſi verò nihil reperiatur, morbum naturalem æſtimant.

Alii, teſte Codron. lib. 4. cap. 2. experimentum ſumunt, columbum per medium ſciſſum ventriculo ægrotantis apponendo, & nonnulla verba obmurmurando.

Alii pennas, ſeu plumas gallinæ nigræ, omnibus reliquis inſciis ſub cervicali perſonæ ægrotæ imponunt : atque ſi poſt biduum ſolæ inveniantur plumæ, infirmitatem eſſe naturalem conjiciunt ; ſi ultrà

pen-

pennas alia inveniantur appoſita, maleficium cenſent.

Quidam, ut ſexcenta ſimilia intermittam, pultem coquunt, & loco publico, vel etiam privato exponunt, firmiter ſibi perſuadentes, omnes, vel aliquas ſagas, conformiter eorum voluntati, comparituras, & de pulte comeſturas.

Sed quis non videat, hæc & plurima ſimilia eſſe vana, ridicula, nec à Deo, nec ab Eccleſia approbata: atque ita nullum alium, quàm dæmonem venerari authorem & patronum.

*Tertiò.* Ad morbum maleficum curandum, plurima ſunt paſſim ſub ſchemate etiam licititatis & ſanctitatis à quibusdam uſurpata: Ex plurimis tantùm ſequentia refero. N,40.

Quidam ex Varrone apud Brognol. in Alexicac. de curat. diabol. Diſp. 1. n. 205, ad quoslibet morbos maleficos curandos his utuntur verbis: *ſiſta, piſta, riſta, xiſta* &c. vel ter repetunt *Anaſanges* cum certis ritibus.

Alii his verbis utuntur: *cara, phara, ſeſta, tuta, mita, meſta*: quinimò hæc verba aliqui adeò venerantur ſacroſancta, ut eadem Amuletis includant: Sic in quodam certo loco publicè, impreſſum, & excuſum vidi quoddam ſchediaſma cum duobus ſignis ſtrigum majoribus, & duobus minoribus, cum mirabiliſſimis nominibus, inter quæ ſunt: *Adether, Abracola, Abrate, Abrat,*

*Aber*, *Annaniſopto* &c. Quæ omnia maniſeſtè per primam ſuprà datam regulam ceu ſuperſtitioſa rejicienda ſunt.

Alii ſcribunt hæc verba : † *Iram* † *Ci-*
†
*ram* † *Abimalec* † *&* *in ſerma Ciac* † Quæ ſuperſtitionis maculâ notatâ, nemo non videt.

Neque dicas, hæc & ſimilia fortè eſſe hebraica & in rei veritate ſanctiſſima, conſequenter minimè rejicienda. Verùm replicabo & ego : fortè ſunt diabolica, & à dæmone inventa : fortè dæmonum invocatorum nomina. Cur ergo nos periculo committemus dimittendô remedia ſecura & amplectendô periculoſa? Ubi præterea nota conformiter Regulis ſuperius *quæſt*. 3. *n*. 37. datis, quod verba, ſigna ac nomina ignota ( intellige ſi non ſolùm plebi ſed etiam doctioribus ac linguarum peritis ignota exiſtant ) meritiſſimò ab AA. tanquam ſuſpecta de ſuperſtitione rejiciantur. Nec refert exinde provenire ſubinde effectus miros, nam tales effectus juxta pariter ibidem dicta, quoniam prudenter in ſimilibus circumſtantiis alicui cauſæ naturali adſcribi nequeunt, in dubio potius à dæmone, quàm à Deo proveniſſe præſumendi ſunt, teſte La Croix *lib*. 3. *part*. 1. *n*. 28. Quare vel iſta verba veroſimillimè ſancta non ſunt, vel ſi etiam ſancta forent, nihilominus conformiter præceden-

den-

dentibus principiis, cum eorum inſtitutio & ſignificatio etiam doctioribus ſit incognita, pariter uſurpatio erit illicita.

Quidam alii poſt Ludovicum Banaciolum docent, ſi menſtruo domûs alicujus poſtes inungantur cum certis aliis ritibus, magorum artibus & inſidiis aditum omnem præcludi. Item, pellem capitis lupini affixam villæ valvis, vel lupi roſtrum cum certo ritu idem præſtare, docet Plinius. Hyenæ ſanguinem inunctum impedire omnes magorum artes, idem docet Plinius.

Fel canis nigræ amuletum eſſe domûs totius eo ſuffitæ, purificatæque contra cuncta maleficia: Eandem vim eſſe amianto lapidi, ac ſanguine atri canis reſperſis parietibus, ejúsque genitali ſub limine januæ defoſſo certo ritu, habetur apud eundem Plinium, Brognolum de curat. diabol. n. 175.

Mictio per annulum ſponſalem contra impotentiam ex faſcino commendatur ab Ettmyllero, & aliis, ait Joannes de Muralt. Verùm, hæc omnia ceu vana, ridicula, ac ſuperſtitioſa denuò ſunt rejicienda, prout ea poſt alios rejiciunt Brognolus, Delrio, Godelmannus, & alii.

Alii non valentes efficere butyrum, vas, in quo lac continetur, virgis verberant, donec ſaga verberibus ſaucia accurrat, & remedium afferat. Ita Gobat in Alphabet. Tract. 9. n. 993.

Alii ad efficiendum butyrum ſeram omninò novam, & nulli eò usque uſui adhibitam, in vas lactarium injiciunt. Apud eundem.

Sunt & alii, qui ceream imaginem faciunt, & ita totum maleficium in ſagam rejiciunt. Ita docet Paracelſus lib. de longa vita dicens: *Poſſumus morbos ab incantatione excitatos in cereas imagines derivare. Debent autem cerei homunculi fabricari ad ſimilitudinem maleficæ, quæ induxit morbum, in certa influentia cœli, debétque is homunculus certo in loco collocari, additis quibusdam execrationibus; & tum omne maleficium retorquetur in ipſum magum.* Hoc autem ſuperſtitionis damnat Godelmannus lib. 1. cap. 8. n. 19.

Idem lib. de occulta Philoſophia docet, maleficium ingeſtionis rerum ſolidarum in corpus, tolli, ſi aliquid earum in arboris ſambuci, aut quercûs orientem ſpectantem partem, facto foramine ponatur, & cuneô certis verbis additis probè obſtruatur: mox enim (ait) æger levamen ſentiet, & quidquid ejus venenatæ materiæ adhuc in corpore deliteſcit, ultrò profluet, & ad ipſam arborem deferetur. Sed facilè ſuperſtitionis convincitur ex regulis ſuprà datis.

Omitto plurima ſimilia, quibus referti ſunt libri ſub ſchemate etiam maximæ utilitatis, imò & neceſſitatis publicè divulgati, & à quibusdam maleficorum & dæ-

monum-

monum patronis approbati : cùm reverà nulla ſit antipathia, nulla contrarietas inter aniles iſtas nugas, & dæmonem maleficium cauſantem : nulla divina inſtitutio, nulla promiſſio, nulla eccleſiaſtica approbatio. Unicum ergò reſtat, meriſſima eſſe ſigna diabolica, ex inſtitutione dæmonis ſuum effectum cauſantia, non quidem ad ſalutem hominis viatoris; ſed ad æternum ejus interitum.

*Quartò* etiam verba ſacra & benedicta N, 41
uſurpantur ad maleficia ſuperſtitiosè tollenda. Nam ùt eruditè docet D. Thomas 2. 2. q. 96. art. 4. Brognol. Diſp. 1. de curat. diabol. n. 210. Delrio, & alii, ſi res, aut verba etiam ſancta portentur, aut proferantur, ſuperſtitio committi poteſt; ſi videlicet aliquid adjungatur, quod vanum ſit, & inutile ad divinam reverentiam, aut ad divinum auxilium impetrandum; puta, ſi portetur Evangelium S. Joannis, vel alia verba S. Scripturæ ſic, vel ſic duntaxat conſcripta, aut tantùm in pergamena virginea formata, ante ſolis ortum, &c. Vel ſi portentur Reliquiæ Sanctorum in vaſe triquetro, vel triangulo, tribuendo vim formæ, vel materiæ. Item, ſi diverſæ à ſigno Crucis adſint figuræ, aut imagines incognitæ. Vel barbara & incognita DEI, aut Angelorum nomina &c. Item ſi omninò certus exinde ſperetur effectus, vel ad aliquem applicentur effectum conſe-

quendum, ad quem nunquam ſunt inſtituta. Unde deduces ſequentia eſſe ſuperſtitioſa.

Ad omnia maleficia curanda uti ſolis verbis: *Conſummatum eſt.* Vel: *Verbum caro factum eſt*: ſperando exinde certum effectum, quaſi aliter eſſe non poſſit, cùm tamen ex nulla legitima revelatione Deique promiſſione habeatur hæc infallibilis connexio ad invicem. Item ſcribere ſola verba præfata: *Conſummatum eſt*, in porta, ne ignis graſſetur ulteriùs: ad hunc quippe effectum quaſi infallibilem verba hæc inſtituta non ſunt.

Licet portare Evangelium S. Joannis etiam cum firma in DEum adjutorem confidentia, ſanctum ſit; nihilominus infallibilem per ejusmodi delationem inferre effectum, non caret ſuperſtitione, ſi non falſi cultûs, ſaltem ſuperflui, ùt apud citat. Brognol. docet Suarez lib. 2. de ſuperſtit. cap. 15. n. 10. Unde etiam D. Cſtriſoſt. de hac re ſuper Matt. ſic ait: *Quidam aliquam partem Evangelii circa collum portant; ſed nonne quotidiè Evangelium in Eccleſia legitur, ut audiatur ab omnibus? Cui ergò non proſunt in auribus poſita Evangelia, quomodo poſſunt circa collum ſuſpenſa?* Et ſubdit: *Ubi eſt virtus Evangelii, in figuris litterarum, an in intellectu ſenſuum? ſi in figuris, benè ſuſpendis; ſi in intellectu: ergo meliùs in corde.*

Quidam, præſertim milites Hiſpani, ùt habet P. Delrio diſq. mag. p. 2. q. 4. ſect.

6.

*6.* Brognol. Diſp. 1. de curat. diabol. n. 202. ſanctè viventes, & omnes gratìs curantes, cum ſola impoſitione linteorum, hac ad omnia mala curanda utuntur formula: *Per Chriſtum, & cum Chriſto, & in Chriſto, eſt tibi Patri Omnipotenti in unitate Spiritûs ſancti omnis honor, & gloria, per omnia ſæcula ſæculorum. Oremus. Amen. JEſus, Potentia Patris, ſapientia Filii, virtus Spiritûs ſancti ſanet hoc vulnus ab omni malo. Amen. JEſus, Domine mi JEſu Chriſte, credo, quod nocte Jovis ſancti in cæna, poſtquam laviſti pedes tuorum ſanctorum Diſcipulorum, accepiſti panem ſanctiſſimis manibus tuis, & benedixiſti, & fregiſti, & dediſti tuis Diſcipulis dicens &c. Similiter accepiſti calicem in ſanctiſſimas manus tuas, & gratias egiſti, & tradidiſti illis dicens: accipite, & bibite, quia hic eſt meus Sanguis novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum: hoc quotiescunque feceritis, facite in meam commemorationem. Obſecro te Domine mi JEſu Chriſte, ut per hæc ſanctiſſima verba, & per virtutem illorum, & per meritum SS. Paſſionis tuæ ſanetur hoc vulnus, & malum iſtud. Amen. JEſus. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti. Amen. JEſus.*

Hæc formula ſuperſtitionis damnata eſt ab Epiſcopo Iprenſi Simonio, quam damnationem juſtiſſimam eſſe defendunt Delrius, & Brognol. loc. citat. ex ſequentibus rationibus. 1. Quia effectus hic à ſolo

Deo per modum miraculi ſic aſſiduè, & quaſi ex conſuetudinè poſcitur. 2. Quia ſancti viri ad patranda miracula non ſunt uſi certis, & quaſi conceptis verborum formulis: ſed modò ſic, modo aliter, prout Spiritus ſanctus ſuggerebat. 3. Quia ſanctitas ſimilium hominum non ſatìs ſemper eſt probata: cùm & malefici pellem ovinam extrinſecùs induere poſſint, intùs eſſe lupi rapaces. 4. Quia, qui dono ſanitatis aliis impertiendæ ſunt præditi, nunquam cum conditione id faciunt, cum certis duntaxat verbis. 5. Quia non licet privatis comminiſci formulas, nec à ſacris litteris, nec ab Eccleſia approbatas. Inſuper depravat multa verba S. Canonis. Prætereà applicat verba conſecrationis rei cuidam, ad quam inſtituta non ſunt. Denique petit effectum ſibi concedi per vim prædictorum verborum, quorum vis non ad vulnerum corporis conſolidationem, ſed ad panis & vini tranſubſtantiationem à Salvatore noſtro ſunt directa.

Ex his nunc rationibus facilè conjiciendum, quam vim & efficaciam ſupernaturalem habeant verba ſecundùm apparentiam etiam ſanctiſſima paſſim à noſtris vetulis, aliíſque hominibus plebeis uſitata. Plurimæ ſunt curandi formulæ à diverſis paſſim uſurpatæ, quarum aliquæ expreſsè falſa, & hæreticalia continent, aliæ, licèt ſanctæ videantur, & à quibusdam appro-

batæ,

batæ, vix tamen ſine ſuperſtitionis labe unquam uſurpantur : jam enim cum certis quibusdam ritibus & obſervantiis adhibentur : jam certus & infallibilis iis effectus attribuitur : jam tota ſpes & fiducia in ipſa concepta verborum formula ponitur : jam verba etiam ſanctiſſima in alium ab inſtitutione ſua uſum applicantur.

Certè apud Athenienſes, teſte Leonardo Vairo lib. 2. de Faſcino cap. 11. cautum fuit, ne quis verbîs mederetur. Undè, cùm in Achaia quandam eſſe mulierem cognoviſſent, quæ verbis medebatur, eam lapidibus obruendam dederunt. Utinam (exclamat P. Brognolus in Alexicac. de curat. diabol. n. 208.) etiam Judices hoc noſtro infelici ævo, Rectores animarum, cunctíque, ad quos pertinet ſuper gregem ſuum vigilare, hoc Ethnicorum ob oculos ſibi ponerent factum! certò non tot ſuperſtitionum germina pullularent, deſtruerentur latentis diaboli inſidiæ, non ita faciliter ad ſua vota conſequenda homines his profanis, aut ſacris abuterentur philacteriis. Vide, ſi lubet, Brognolum & Delrium fusè & eruditè hanc materiam tractantes. N. 42.

Sunt & alii, qui cum Paracelſo lib. *de Characteribus*, diversîs figurîs ſancta inſcribunt nomina: *Adonai*, *Jehova*, *Tetragrammaton.* De his Author citatus ita loquitur: *Præcipuè characteres inter alios plurimos, dico tantùm ſunt veri & præcipui, quorum primus con-* N. 43.

*conſtat ex duobus trigonis ſuper ſe ita depictis, ut ſexagonum conſtituant.*




Alterum dicit eſſe priore efficaciorem, & eſſe pentagonon, ſeu quinque angulorum acutorum, in quorum ſpatiis inſcribendas docet quinque litteras infallibilis Nominis divini *Jehova.*




Aut certè loco horum divinorum Nominum inſcribendas docet quinque ſyllabas vocabuli *Te -- tra -- gram -- ma -- ton.*

*Harum*

*Harum* ( ait : ) *virtute olim Iſraëlitæ inſignia perfecerunt miracula, bodiéque tantæ etiamnum ſunt efficaciæ, ut, ſi in placentulam mellam, aut boſtiam ſacrificulorum, quam noſtri* Obblat *vocant, depingatur, & patienti ad comedendum exbibeantur, ab obſeſſis ſpiritus immundos expellant, diabolum fugent, & omnes morbos magicâ malitiâ inflictos, tam animi, quàm corporis, omnésque alias infirmitates, ubi aurum potabile, & quinta eſſentia Antimonii nihil efficere potuerunt, tollant, & perſanent. Et ne quispiam dicat, hac in parte me peccare contra ſecundum præceptum, is ſciat, me minimè peccare, cùm divinis nominibus non ad pernitiem, ſed ad ſalutem bominum utar. Dicant ad hæc quidquid velint Theologi hypocritæ.* Hæc ille.

Aſt prænotandum hìc eſt, quòd Author iſte ( nimirum Theophraſtus Paracelſus) in Indice librorum prohibitorum contineatur inter prohibitos primæ claſſis, utpote plenus ſuperſtitionibus. Non quidem negatur, *Adonai* & *Jehova* eſſe nomina ſancta DEO appropriata, Quomodo autem ſine manifeſta ſuperſtitione ipſis characteribus, quatenus ſic inter ſe diviſis, & in diverſis angulis collocatis, effectus quaſi infallibilis contra dæmones tribui poſſit, uti tribuit Paracelſus, homo dæmoni & ſagis familiaris, nullatenus videtur. Undenam enim hæc tanta virtus? non à natura, uti per ſe patet. Nec ſpecialiter à Deo, cùm id nec ex S. Scriptura, nec ex alia

au-

authentica revelatione, nec ex SS. PP. aut approbatione Eccleſiæ ullatenus conſtat Igitur ut à Paracelſo provenientia, & tanquam infallibilem effectum habentia, à zingaris vel circumforaneis, aliisve jactata, rectiſſimè reprobantur.

Qualiter autem alio in ſenſu easdem figuras aliqui defendere conentur, adducetur prope finem hujus libelli.

Interim notetur D. Auguſtinus relatus cauſ. 26. q. 5. Can. *Nec mirum* 14. dicens: *Ad hæc omnia ſupra dicta pertinent ligaturæ execrabilium remediorum, quæ ars medicorum condemnat, ſeu in præcantationibus, ſeu in characteribus: vel in quibuscunque rebus ſuſpendendis, atque ligandis: in quibus omnibus ars dæmonum eſt, ex quadam peſtifera ſocietate hominum, & Angelorum malorum exorta. Unde cuncta vitanda ſunt Chriſtiano, & omni penitùs execratione repudianda, atque damnanda.* Quare.

Deduces, varia inſuper ſchediaſmata diverſis characteribus notata, atque à quibusdam Amuletis includi, vel in domibus, ſtabulis, aliisque locis collocari ſolita, non fore toleranda, ſed penitùs rejicienda. Licèt autem hìc proprius locus eſſet, earundem formulas adducendi, & examinandi, nihilominus, cùm actuali examini Reverendiſſimi Conſiſtorii Friſingenſis ſint ſubjecta, ultimata deciſio neceſſario expectanda, & in fine hujus ſecundæ partis apponenda erit.

Quinto

*Quintò* contra tempeſtates, tonitrua, & N.44.
grandines avertendas, miras quidam adhibent figuras, miras etiam conjurationes. Aliqui ſequens adhibent

## Formulare Schedularum contra grandines.

†Carat† † Phara † †Feſta†







†Tuta† † Mita † †Mæſta†

† I † N † R † I †
Verbum Caro factum eſt, & habitavitin nob is.

† Maria †

I † N † R † I † Per Verbum, quod caro factum eſt, per ſanctam Conceptionem Immaculatam Virginis Mariæ, & per hoc ſanctum Nomen tuum




Libera

Libera nos DEus noſter, & habitationes noſtras, & pecora noſtra, & campos, & fructus terræ, à nociva tempeſtate tonitruum, grandinum, & ventorum in Nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritus † ſancti. Amen,

Hanc formam valdè efficacem cenſent: Verùm ob rationes jam allatas diſplicet, & ceu ſuperſtitioſa meritò rejicienda, atque damnanda eſt.

N. 45. Alii priori formulari non contenti, ſequens contra omnia tonitrua & grandines, ceu efficaciſſimum, ut jactitant, adhibent.

Formulare Schedularum contra grandines in agris fodiendarum.



| | |
|---|---|
| A.<br>JEſus<br>Rex gloriæ<br>DEus homo<br>Adonai tetra-<br>Verbum caro | G.<br>Chriſtus<br>venit in pace<br>factus eſt<br>grammaton<br>factum eſt. |
| L.<br>Chriſtus vincit<br>Chriſtus imperat<br>malo nos<br>Conſum- | A.<br>Chriſtus regnat<br>Chriſtus ab omni<br>defendat.<br>matum eſt. |

Alii præter verba circa ſignum orbiculare in forma rotunda hæc inſuper ſcribunt.

*Ecce! Nomen Domini : Ens Entium, DEus cauſarum, Vita Viventium. DEus à quo omnia, DEus de quo omnia, DEus ex quo omnia, DEus in quem omnia, & per quem omnia, DEus, DEus Deorum DEus, Agla potentiſſimus, DEus Adonai, Dominus DEus. Helohim, juſtiſſimus DEus, DEus Elion, Excelſus DEus, Elon Dominus DEus, & fortiſſimus DEus. Sodoi, Omnipotentiſſimus DEus: ſanctus, ſanctus, Sabaoth, DEus, DEorum DEus, Adonai Tetragrammaton, quæ explicare nequeunt omnes linguæ viventium, nec mens, nec ſenſus hominum, & quod ego indigniſ-*

*ſima creatura tanti altiſſimi Creatoris indignus ſum ſcire, nec nominare, nec conjunctionem ſyllabarum pronuntiare, nec minùs ad cœlum oculos levare, ſed tantùm audeo divinatione litterarum perſonare: Jod, He, Vau: fugite partes adverſæ, fugite dæmones, fugite inimici generis humani: fugite rebelles Creatoris veſtri: oſculamini dæmones maledicti hoc glorioſiſſimum Nomen, & admirabile Nomen: Adonai Tetragrammaton, oſculamini †††, †. Ecce Crucem Domini, fugite partes adverſæ, vicit Leo de Tribu Juda, Radix David, Alleluja.* I N R I. *per Verbum, quod caro factum, & per S. Conceptionem Immaculatæ Virginis Mariæ, & per Sanctiſſimum Nomen tuum, libera nos DEus, & habitationes noſtras, & pecora noſtra, & campos, & fructus terræ à nociva tempeſtate tonitruorum, grandinum, & ventorum pluviarumque nocivarum in nomine Patris † & Filii † & Spiritûs † Sancti. Amen.*

Hoc ſignum ſuprà expreſſum ita efficax eſſe dicunt, ut, ſive in agro collocatum, ſive in domo poſitum, ſive ab homine apud ſe portatum, certum contra tonitrua noxia, & grandines ſit munimen.

N. 46. Verùm plura diſplicent 1. Quòd effectus potiùs ſignis & verbis, quàm rei ſignificatæ, ac veræ fidei & fiduciæ, vitæ piæ, laudabili, & ſanctæ tribuatur.

2. Quia infallibiles promittit effectus.

3. Diſpli-

3. Diſplicet ex eo, quòd hoc duntaxat modo, ſub tali figura, his verbis, his characteribus &c. ſcribi debeat: ſic enim contra regulas n. 37. allatas peccare, conſequenter ſuperſtitioſum eſſe meritò cenſetur.

Nec *inferas*, ob paritatem rationis damnandam pariter fore crucem contra peſtem certis characteribus inſignitam, & à P. Sannig. in Ritual. Franciſc. fol. 317. deſcriptam. Item & Numiſmata S. Benedicti, aliáſque cruces tum hebraicis, tum etiam latinis litteris inſcriptas, & paſſim Amuletis incluſas.

℞. Enim negando paritatem: tales ſiquidem cruces nec peccant in forma figuræ in ſola cruce omnibus dæmonibus terribili conſiſtente: nec in litteris, & characteribus, utpotè ab Authoribus paſſim explanatis. Neque fiducia certa & infallibilis in ſignis & characteribus, ſed ob Crucem ſanctam, benedictam, & ſanctis verbis inſcriptam, in ſola divina miſericordia tota confidentia collocatur.

Cæterùm negare nequeo, etiam in hiſce N. 47. ab Eccleſia non tantùm toleratis, ſed etiam approbatis, ſuperſtitionem poſſe committi: ſi enim ex ſola delatione, quam non piæ preces, aliáque virtutum opera comitantur, certus ſperetur effectus, manifeſta eſt ſuperſtitio, ùt ſuprà jam de Evangelio S. Jo-

annis dictum eſt. Præterea, ſi quis perſuaſus putaret, figuram præcisè talem eſſe debere, his duntaxat characteribus inſignitam, ita, ut omiſſio unius etiam totum fruſtraret effectum, à labe ſuperſtitionis denuò excuſandus non foret.

Denique, ut veritatem fatear, minùs placent imagines, & cruces illæ hebraicis litteris ſignatæ: nam quis ſibi certò perſuadeat, typographum in littera etiam ſancta imprimenda non aberrâſſe, & loco vocabuli ſancti, dæmoniacum expreſſiſſe? errant perſæpè in vocabulis latinis imprimendis; quis ergò credat, eos ab errore futuros immunes in imprimendis hebraicis, aliísque incognitis? quòd ſi verò aberrent, quis gnarus litterarum omnia puncta corriget? Quis Hebræorum citabitur, ut typum diſponat? Verùm, tranſmiſſo etiam, omnia verba eſſe ſanctiſſima, & approbata: omnia nihilominus merè ſacramentalia eſſe videntur, ex ſe non habentia alium effectum, quàm hominem diſponendo ad veram in DEum fidem & fiduciam. Sed, amabo! quomodo diſponent, ſi non intelligantur? quomodo intelligentur, ſi neque à Sacerdotibus, populi Paſtoribus, & animarum Directoribus explanentur? Certè, cùm nulla verba, quantumvìs ſanctiſſima, ullum ſine fide & fiducia theologica habeant effectum, ùt fusè in

p. 1. hujus Armamentarii cap. 3. eſt probatum, videre nequeo, quomodo peregrina iſthæc vocabula non explanata, neque ab ullo ordinariè intellecta effectum habere poſſint.

Vel certè, ſi ob preces Eccleſiæ, atque benedictiones ſacerdotales iis effectum tribuas, quemadmodum tribuitur Numiſmatibus S. Patriarchæ Benedicti, quamvis verba non intelligantur: dicam, ſaltem longè conſultiùs eſſe uti linguâ latinâ, æquè ſancta, ut ſic faciliùs omnis error evitetur.

# CAPUT Tertium.
## De Curatione naturali maleficiorum.

### *Quæſtio prima.*
### *An ſenſibilia & purè naturalia habeant vim directè ſublativam & ſanativam maleficiorum?*

N. 48. ADvert. Ex dictis ſuprà cap. 1. q. 1. n. 3. maleficium aliud eſſe purè naturale, aliud præternaturale, aliud mixtum ex utroque participans, prout fuſiùs loc. cit. videre licet. Signa porrò diſtinctiva maleficii purè naturalis à præternaturali & mixto haud alia ſunt, quàm illa, quibus infirmitas naturalis dignoſcitur à vero maleficio, de quibus abundè dictum p. 1. cap 1. q. 6. item ſupra n. 25. ex quibus ſequentia videntur præcipua: 1. maleficium purè naturale certam & fixam in corpore ſedem habet, nec de parte in partem diſcurrit: Econtra maleficium præternaturale ordinariè jam hanc, jam aliam corporis partem afficit, atque tremendos cauſat dolores: decurrit per corpus per modum formicarum, murium, aliorúmque ſimilium animalium viventium. 2. Dolores ex maleficio naturali cauſa-

cauſati fermè continuî ſunt, ſicut & cauſa eorum purè naturalis ſemper eodem modo applicata eſt: Econtra dolores ex maleficio præternaturali procedentes ordinariè diſcontinui ſunt, ita, ut jam graviter perſonam afficiant, jam ſubitò ceſſent, & perſona omnimodæ ſanitati videatur reſtituta.

3. Dolores ex maleficio præternaturali ad præceptum, vera fide & fiducia in SS. Nomine JEſu factum, evaneſcunt ſubitò, & iteratò ad præceptum incipiunt; ubi tamen dolores ex maleficio purè naturali exorti non ita per præceptum leniuntur. H. N.

Dico 1. Pharmaca purè naturalia vim habent atque efficaciam directè ſublativam, & ſanativam maleficiorum purè naturalium. Ita communis. *Ratio* eſt ſatis manifeſta, qua conſtat contraria contrariis curanda: talia autem maleficia ſunt, & ſupponuntur eſſe purè naturalia, eíſque quà talibus contrariantur naturalia: ergò pharmacis naturalibus erunt curanda. N. 49.

Quare, cùm Exorciſtæ perſona quædam infirma ſanitatis recuperandæ causâ ſeſe præſentat, eidem diligenter eſt advertendum, nè feſtinanter, & præcipitanter ſuo judicio, vel ipſius afflictæ dictis aquieſcat: ſolent enim infirmi faciliùs ad Exorciſtas gratìs ſuum præſtantes auxilium, quàm ad Medicos confugere, quibus debitam


bitam

bitam ſolvere debent mercedem. Cautè ergò procedat, ac prudenter ſigna unum maleficium ab altero dignoſcendi conſideret: Et ſi fortè malum deprehendat eſſe purè naturale, ſuadeat ejusmodi ægrotis, ad medicos peritos ſuum habere recurſum.

Sed nec in naturalibus etiam maleficiis Exorciſtæ munus & auxilium inutile, ſed ſummè frequenter neceſſarium eſt: dum enim Medici in morbo ex maleficio diabolico procedente curando, ſunt intenti, verſipellis hoſtis ex inveterato in genus humanum odio, urgentibus etiam ſagis & maleficis, nova ſemper machinatur maleficia, recentia in corpus ingerit venena, aliáve noxia: quinimò & medicinas corrumpens omni niſu ſanitatem impedire ſattagit. His porrò malis non Medici, ſed Exorciſtæ ſolers prudentia occurrit, dum medicinis, emplaſtris, aliiſque infirmo applicandis, præviam impertitur Benedictionem, atque eundem infirmum iis præmunit ſpiritualibus remediis, quibus perſonæ à dæmone liberatæ, vel aliàs infeſtatæ, à dæmonis incurſu præſervandæ ſunt, de quibus dictum p. 1. cap. 6. q. 12.

N. 50. Dico 2. Nulla res naturalis & corporea habet virtutem directè tollendi maleficium præternaturale, vel mixtum. Ita Didacus Celada in cap. 6. Tob. §. 233. n. 10. Cornelius à Lapide, Tirinus, Lyranus in loc.

præ-

præfat. Brognolus in Alexicac. Diſp. 2. à n. 370. Delrius, & alii communiſſimè. *Prob.* cum Abulenſi. 1. Reg. 16. q. 46. ubi ita habet: *Impoſſibile eſt, quòd minor poteſtas ſibi ſubjiciat majorem: & tamen non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur poteſtati dæmonum. Ideò non erit aliquid naturale, vel cæremoniale, per quod dæmones poſſint ab homine cogi &c.* Ex quibus ſubſumo; atqui in maleficio præternaturali & mixto dæmon realiter præſens eſt: ergo per pura naturalia ad recedendum cogi nequit. *Conf.* Inter rem corpoream, & rem omninò ſpiritualem ſuppoſito diverſam, eſt grandis improportio; nec omninò apparet, quomodo corporeum in ſpirituale agere poſſit: unde valdè deſudat ſubtilioris Theologiæ ſolers induſtria in aſſignando modo, quo corporeus gehennæ ignis in dæmones, & animas ſeparatas agere poſſit, de quo præ reliquis ſubtiliter tractat Doctor noſter ſubtilis in 4. d. 44. q. 2. ubi impoſſibile reputat, ignem materialem etiam per potentiam obedientialem elevatum, phyſicè cremare ſpiritus; ergò eadem ratione impoſſibile erit rem materialem & corpoream directè agere, & ex corporibus humanis expellere ſpiritus; his autem in maleficio præternaturali non expulſis, neque maleficium ſolutum erit. Sed in contra.

N. 51. Ob. 1. Reg. 16. legitur: *Quandocunque enim ſpiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat Cytharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leviùs habebat: recedebat enim ab eo ſpiritus malus*; ſed pulſus cytharæ erat aliquid purè naturale: ergò. 2. Angelus Raphaël Tobiam juniorem juſſit ſeponere cor, fel, & jecur piſcis, & dans rationem dixit: *Cordis ejus particulam, ſi ſuper carbones ponas, ſumus ejus extricat omne genus dæmoniorum, ſive à viro, ſive à muliere, ita, ut ultra non accedat ad eos.* 3. Exorciſtæ veteris teſtamenti, prout teſtis eſt Joſephus apud Thyræum de dæmoniacis. p 3. cap. 48. n. 7. annulîs, qui ſub ſignaculo radicem Salomonis inſertam habebant, per odorantium nares omne genus dæmoniorum extrahebant; ergò &c. hæc ſunt potiſſima fundamenta ſententiæ adverſæ. Sed

Reſpondent ad 1. Theodoretus, Tirinus & alii in locum præfatum, nullis ſonis, quantumcúnque numeroſè modulatis fuiſſe pulſum dæmonem, ſed ſacris Pſalmorum & Hymnorum verbis, quin & piis precibus ac votis, quibus David pro Regis incolumitate DEum interpellabat; penè eo modo, quo nunc Eccleſia per preces ac ſacra verba, per adjurationes & Exorciſmos expellit cacodæmones ex energumenis. Alii aliter reſpondent, prout paſſim in expoſitoribus videre licet.

Ad

Ad 2. diverſi diverſa reſpondent : communior tamen ſententia eſt Lyrani, Celadæ, Serarii, Cornelii à Lapide in loc. præfat. gloſſantium, Aſmodæum inchoatè vi naturali, completè verò vi ſupernaturali, & angelica fuiſſe expulſum ob preces Tobiæ & Saræ. Etſi enim res materiales directè in dæmonem agere nequeant, veroſimiliùs nihilominùs eſt, poſſe agere ſaltem inchoatè & indirectè, in quantum humores noxios à dæmone cauſatos tollunt, vel minuunt, prout Q. ſeq. magìs explicabitur. Completam verò expulſionem dæmonis ſoli Angelo eſſe adſcribendam, manifeſtè Scriptura inſinuat ibidem cap. 8. v. 2. ubi dicitur : *Protulit de caſſidili ſuo partem jecoris, poſuítque eam ſuper carbones vivos; tunc Raphaël Angelus apprehendit dæmonium, & religavit in deſerto.* Et cap. 12. v. 3. dicitur : *Et dæmonium ab ea ipſe compeſcuit.*

Ad 3. denuò diverſæ ſunt Authorum opiniones : nam aliqui, ut videre eſt apud Thyræum de dæmoniacis p. 3. cap. 48. n. 26. Eleazarum, qui radicibus in Exorciſmo uſus dicitur, inter magos reputant, negántque Salomonis Exorciſmô uſum. Alii putant radici nullam infuiſſe vim naturalem pellendi dæmonem, ſed moralem ex inſtitutione divina : Cùm verò moderno tempore nil ampliùs de ejusmodi inſtitutione nec ex Scriptura, nec ex Conciliis,

liis, & Patribus conſtet, etiam herbas nullam ampliùs habere vim directam pellendi dæmones, dicendum erit.

## *Quæſtio ſecunda.*

### *An ſenſibilia non habeant vim ſaltem indirectam, vel etiam intentionalem pellendi dæmones, ac curandi maleficia?*

N. 52. ADvert. non eſſe ſuperſtitionis damnandos, illos Exorciſtas, qui præter Exorciſmos Eccleſiaſticos etiam diverſas herbas, & lapides uſurpant: hoc quippe ceu licitum approbat D. Hieronymus, prout refertur à Gratiano cauſa 26. q. 7. c. 18. ibi: *Dæmonium ſuſtinenti licet petras, vel herbas habere ſine incantatione.* Vertitur ergò Quæſtio inter Authores, quam vim & efficaciam habeant. Unde pro Reſolutione

N. 53. Dico 1. Neque pharmaca purè naturalia vim habent indirectam completè expellendi dæmones, ac ſolvendi maleficia. Ita expreſsè Lyranus, Toſtatus in prima parte cap. 5. q. 2. n. 173. relati. Sequuntur Celada in cap. 6. Tobiæ. Serarius, Cornelius à Lapide, & alii ab his relati. Ratio breviter eſt, *tum*, quia dæmones purè ſunt ſpirituales, atque eò ipſo extra Spheram activitatis rerum materialium: ſicut

ſicut enim potentia materialis objecta ſpiritualia attingere nequit, ita res corporalis nequit expellere dæmones. *Tum*, quia, licèt dæmones magìs, minúsve hominem divexent, & crucient, ſecundùm diverſas corporis diſpoſitiones, reverà tamen ab his minimè, ſed à ſola ſicut in eſſendo, ita in operando permiſſione divina dependent. Quinimò ſpiritus mali facili negotio humores illos noxios per medicinas corporales expulſos, denuò excitant, & excitatos coacervant, corporis paſſiones mitigatas iteratò reſuſcitant, ita, ut ſæpè hominis illius noviſſima poſt multas etiam ſumptas medicinas, fiant pejora prioribus. Aſt quid *ſæpè* dico; cùm experientia ipſa ceu optima rerum magiſtra teſtetur indies, homines maleficiatos, vel à dæmone poſſeſſos, ſimilibus medicinis abſque aliis remediis ſpiritualibus non adjuvari, ſed aggravari, non ſanari, ſed debilitari. Sed unde debilitas iſta? non utique à medicina, ſed ex diabolo, vel effectum medicinæ fruſtrante, vel certè humores noxios magìs coacervante, aut omninò noxia quæque in corpus ingerente. Vide de hoc Medicos ipſos, nominatim celeberrimum Codroncum lib. 4. de *morbis veneficis.* cap. 2. Senertum lib. *de morbis à veneficio inductis* cap. 10. ubi experientiâ docti fatentur, remedia naturalia morbis maleficis nihil prodeſſe, & Medicos fru-

ſtra

ſtra laborare in hujusmodi defectibus curandis.

N. 54. Dixi nihilominùs in concluſione notanter, non habere vim *completam* expellendi dæmones, & ſolvendi maleficia. Fatentur ſiquidem Gelada, Cornelius à Lapide, Serarius, Tirinus, aliíque Expoſitores paſſim in locum præfatum, habere vim quandam incompletam, & remotam. *Ratio* eſt, quia cauſa limitatæ virtutis producit effectum intenſiorem in materia magìs diſpoſita, quàm minùs diſpoſita; Cùm ſecundùm Philoſophum 2. *de anima*, actus activorum ſit in patiente benè diſpoſito: diabolus autem eſt agens limitatæ virtutis: ergò vexationem intenſiorem cauſare poteſt in homine magis diſpoſito ad illam vexationem: conſtat autem pharmacis purè naturalibus tolli, vel ſaltem minui diſpoſitiones illas: ergò. Quare, licèt herbæ, lapides, harmoniæ, aliæque res corporales ſua naturali virtute totaliter dæmonis vexationem excludere, vel maleficium tollere nequeant, poſſunt nihilominùs, proùt optimè diſcurrit Richardus de Mediavilla Quodl. 3. q. 8. illam vexationem mitigare; non ea quidem ratione, quaſi ſimilia naturalia in dæmonem, ceu purum ſpiritum agerent, ſed agendo in ipſum vexatum: haud parùm enim malus ſpiritus non bona hominis temperie adjuvatur ad illum exagitandum; naturalis

ralis autem virtus, quæ medicamentis ineſt, valet ad humores temperandos, & corporis paſſiones mitigandas, ita, ut minùs ſubjiciantur actioni dæmonum.

Cæterùm, licèt naturalibus pharmacis vis quædam inchoata, indirecta, atque incompleta concedatur, ea nihilominùs ſine prudentis Exorciſtæ præceptis vix proficient. Econtrà, ſi ſolùm accedat Exorciſtæ præceptum poſt debitas inſtructiones formatum, absque omni alio pharmaco naturali, tota infirmitas ex maleficio præternaturali procedens, ſæpè erit ſopita, imò radicitùs extincta, prout frequentiſſima teſtatur experientia. Quòd ſi tamen naturales quædam reliquiæ ſupereſſent, per pharmaca naturalia expellendæ forent. Vide de hoc celeberrimum P. Brognolum in Alexicac. Tom, 2. Diſp. 2. à n. 384. Codroncum Medicum lib. 4. *de morbis veneficis*, cap. 2. Senertum lib. *de morbis veneficio inductis* cap. 10. ſuprà citatos, qui tenent, omnem Medicorum conatum, remediorúmque naturalium effectum eſſe fruſtraneum in hujusmodi morbis curandis.

Dico 2. Pollent pariformiter quædam corporalia vi quadam intentionaliter agendi in dæmonem. Ita Sanchez apud Cornelium à Lapid. in cap. 6. Tob. v. 8. Brognol l. c. n 415. *Ratio* eſt, quia maligni ſpiritus res illas corporeas, puta ſul- N. 55.

phur

phur, rutam, aliásque id generis herbas apprehendunt tamquam inſtrumenta, quibus utitur Exorciſta ad eos irridendos, & affligendos: dæmon enim, ait P. Sanchez, ſuperbiſſimus ſuffumigationem rei tam vilis ferre non poteſt, abit, & fugit. Dæmon ſiquidem ſuperbiâ ſua excæcatus ab ortu creationis ſuæ ſe tantùm æſtimavit, ut DEO ſimilis eſſe voluerit. Cùm autem agnoſcit, ſe contemni, ac ludibrio haberi, proque majori contemptu res corporeas ac fætidas maleficiatis applicari, non vult tales injurias, ac ludibria: Ex qua nolitione ſequitur triſtitia, quæ ſecundùm D. Auguſt. lib. 4. de Civit. cap. 15. eſt *diſſenſio in his rebus: quæ nobis nolentibus accidunt.* Hoc autem contingit præcipuè, dum illi proponuntur ea, quæ afflictionem æternarum pœnarum ſuggerunt, ut fumus ſulphuris, ignis, ac rutæ: nam *de ore eorum procedit ignis, & fumus, & ſulphur.* Apoc. 9. Ruta inſuper eſt rememorativa amariſſimæ Chriſti Paſſionis, qua diabolus victus eſt, & proſtratus.

N. 56. Veruntamen, licèt ſimilia actione intentionali poſſint in dæmonibus aliquam cauſare triſtitiam: non tamen facilè credendum eſt, eos ob ſimilium applicationem velle ab obſeſſis, vel maleficiatis recedere: ſi enim, prout experientia quotidiana demonſtrat, dæmones non recedunt, licèt Exorciſta eis objiciat ſignum Crucis,

Crucis, Sanguinem pro nobis effuſum, cæteráque Redemptoris noſtri Myſteria, quibus ſunt devicti & proſtrati; quid rutam, ſulphur, aliáque id generis plura pavebunt ratione ſignificati, ſi ſignificatum ac myſterium ipſum parvipendunt. Longè ergò melius & conſultius erit, ſi poſthabitis ejusmodi ſenſibilibus, Exorciſta toto conatu remediis ſpiritualibus incumbat, præſertim, cùm corporalia plùs ſæpè miſeros excrucient & torqueant maleficiatos, quàm dæmones ipſos, prout in prima parte Armamentarii dictum.

Et certè, ſi quædam maleficiatis ſunt nociva, res fœtidæ primum ſibi locum vendicant inter omnia noxia; affligunt miſerum maleficiatum, & dæmonem exhilarant. Pertentent Exorciſtæ, quantum poſſunt, res varias adhibere obſeſſis, vel maleciatis, quibus intentionali actione dæmones torqueri putent, & oleum ac operam perdent. Recipiant galbanum, ſulphur, aſam fœtidam, ariſtolochiam, hypericonem, rutam, carnem vel limaturam ungulæ aſini, canis, ac diaboli ſtercora, ex eisque factô fœtidô ſuffumigiô maleficiatum fumigent, ut dæmonem actione intentionali torqueant, & ejiciant; non aquam duntaxat verberabunt, ſed dæmonem refocillabunt: dæmon enim nulla re magis, quàm fœtidâ delectatur: quare, ſi corpus aliquod aſſumit, illud vel eſt cadaver fœtidum, N. 57.

vel ex aëre fœtido formatum; Si in corpore humano habitat, graviſſimos denuò fœtores cauſat. Si ex corpore recedit, ſæpè aërem circumſtantem undequaque fœtoribus intollerabilibus replet, ac inficit. Si ſagis, aliisque ſuis familiariſſimis apparet, formam fœtidiſſimi hirci exhibet. Quid ergò mirum, ſi ſimilia fœtida non abhorreat. Sed

N. 58. Dices: plura ſunt naturalia, quibus vis quædam ſupernaturalis ad dæmones fugandos eſt attributa; ſic enim docet Valeſius *Sacra Philoſophia cap. 28.* piſci tobiaco fuiſſe attributam quandam vim ſupernaturalem ad fugandos dæmones, ſicut igni infernali eadem tributa eſt ad eos cruciandos. Conſtat pariter ab experientia ſimilibûs plurimùm torqueri dæmones, nec poſſe ſufferri à ſagis & maleficis: non ſemel enim odorem ejusmodi rerum fœtidarum ſentientes, illicò recedere ſunt animadverſi.

℞. Valeſium nulla prorſus ratione ſuffultum hanc eis ſupernaturalem attribuere virtutem, cùm nullo textu Scripturæ, nulla authoritate cujusdam Concilii, aut alicujus S. Patris hanc ſuam ſingularem opinionem ſtabilire poſſit. Deinde virtus ejusmodi vel eſſet phyſica, vel moralis? non *phyſica*; utpote quæ à Theologis tum Sacramentis in ordine ad cauſandam gratiam, tum igni infernali ad cremandos Phyſicè

eò

eo modo, quo concremantur ipſa corpora, ſpiritus ex fundatiſſimis denegatur rationibus, quas videre licet præſertim apud Scotum, & Scotiſtas paſſim, ita, ut ſupervacaneum videatur quandam adducere: conſequenter nec rebus corporalibus ulla ſimilis virtus ſupernaturalis concedenda videtur. Non *moralis*, cùm enim hæc vel ex meritis Chriſti, vel Eccleſiæ piis precibus deſcendat, ſine ſufficienti ratione, inſtitutione, ac promiſſione, de qua tamen nihil prorſus conſtat, nullatenus videtur attribuenda.

An porrò dæmones multùm ſimilibus torqueantur, ac crucientur, nulli magis, quàm Exorciſtis ſedulò muneri ſuo incumbentibus conſtare poteſt: ſed quinam illi? quisnam magìs expertus celeberrimo P. Brognolo? at hic per plura folia contrarium demonſtrat. Quis doctior Lyrano, Cornelio à Lapide, Celada, aliisque S. Scripturæ Expoſitoribus paſſim? at hi inchoatam duntaxat virtutem eisdem attribuunt. Denique, ſi meam tenuitatem, quid ſentiam, quæras: dicam veritatem, me per plures annos oneri exorciſtico ſubmiſiſſe humeros, & nunquam vidiſſe, per corporalia effectum oriri optatum. Et quid mirum! S. Scriptura Matt. ult. modum deſcribens ait: *in Nomine meo dæmonia ejicient*: En! non rebus corporeis, ſed Nomine JESU: non rebus naturalibus, ſed N. 59.

poteſtate divinitùs tradita ejiciendi ſunt dæmones, & conſequenter etiam maleficia curanda.

Eccleſia pariformiter nullibi in Ritualibus corporalia, ſed mera conſulit & præcipit ſpiritualia: ergò. Quare ex duplici potiſſimùm ratione remedia naturalia adducere ſuperſedeo: prima eſt, ne falcem in alienam immittam meſſem, præſcribens naturalia ſolis peritis medicis cognita: plùs quippe nocere poſſem, quàm prodeſſe. Altera ratio eſt, quòd ſimilia vi valde exigua polleant, utpote inchoata duntaxat, atque indirecta. Optimè ergo concludit Senertus de morbis à faſcino & incantatione provenientibus cap. 10. *Remediis naturalibus omnibus in morbis à veneficio provenientibus inductis, nemo certè ſibi ſanitatem polliceri poteſt: etenim, cum diabolus non ſolùm diſpoſitionibus Medicis vulgò notis utatur, ſed & ignotas introducere poſſit; & Medico ignotum ſit, quibus modis diabolus ad nocendum uſus ſit, talia remedia aliquid juvare, morbum verò tollere planè non poſſunt; imò, ſi DEus permittat, diabolus remediorum naturalium vires debilitare, & infringere poteſt. Ideóque, ſi remedia naturalia non ſufficiant, ad Divinum Auxilium, & curationem recurrendum.*

De qua ſit

CA-

# CAPUT Quartum.

## De Curatione morali & divina maleficiorum.

### *Quæſtio prima.*

### *Quid & quotuplex ſit curatio moralis maleficiorum?*

ADvertendum: Neutiquam eſſe confundendam curationem moralem maleficiorum cum curatione divina: Licèt enim omnis curatio divina modô ordinariô per artem exorciſticam, aut applicationem rerum ab Eccleſia benedictarum facta, ſimul ſit moralis: hæc tamen viciſſim non ſemper eſt divina, utpote cùm fieri pariter poſſit per deſtructionem ſignorum maleficorum, aut per poſitionem contrariorum, ut mox quæſtione ſequenti dicemus. Dæmon enim in ſuis maleficiis conciñandis quandam divinorum operum affectat imitationem, ut DEO ſimilis, quod dudum appetiit, eſſe videretur. Unde ſicut DEus per ſigna quædam ſacra, quæ Sacramenta vocamus, humano opitulatur generi, ita dæmon per ſigna magica ad hominum exitium promovendum, ſalutémque evertendam, quædam ſenſibilia inſtituit ſigna, non quaſi cauſas morales, ſed ceu puras conditiones, tamdiu nocumentum ex pacto inferendi, quamdiu N. 60.

ſigna illa permanſerint, ut vel ſimili modô maleficos in ſuo ſervitio conſervet, atque venenum ſui implacabilis odii effundat.

Neque tamen ſigna illa certa ſunt, atque infallibilia, qualia ſunt Sacramenta, ſed ſæpiſſimè falſa & deceptoria: Væ quippe generi humano, ſi ſerpens ille antiquus in quoslibet venenum ſuæ nequitiæ infundere poſſet: quare poſitîs etiam ſignîs dæmon nulli divinitùs nocere permittitur, qui divinâ fiduciâ fretus, à Deo protegitur, prout fusè p. 1. cap. 1. Armamentarii dictum. Undè directè ad quæſitum

N. 61. Dico. Curatio moralis maleficiorum nîl aliud eſt, quàm certis adhibitis remediis licitis non phyſicam, ſed moralem duntaxat habentibus contrarietatem cum maleficio, illud tollere & deſtruere. Dicitur 1mò: *Certis adhibitîs remediîs licitîs*; non enim de illicitis, vanis, & ſuperſtitioſis impræſentiarum agitur, ſed de licitis, qualia ſunt deſtructio ſignorum, Sacramenta, & ſacramentalia inſtituta ad deſtructionem maleficiorum, de quibus in progreſſu plura dicentur, Dicitur 2do. *non phyſicam ſed moralem.* &c. hæc enim cauſæ ſunt morales vel Deum ad dæmonum incurſus impediendos moventes, vel certè pacti deſtructio, quo dæmon ſe nocumentum illaturum promiſit.

Unde patet, curationem moralem potiſſimùm eſſe duplicem; prima ſiquidem contingit per deſtructionem ſignorum maleficorum,

corum, aut poſitionem contrariorum, altera verò per applicationem tum Sacramentorum, tum Sacramentalium. Quare ſequitur

## Quæſtio ſecunda.

### An liceat maleficii ſigna deſtruere, ut dæmon nocere deſinat?

DIco. Non ſolùm licet, ſed & meritorium eſt deſtruere ſigna maleficii, intentione curandi maleficiatum: Ita Scotus in Tris. in 4. diſt. 34. q. un. cum communi. N. 62,

Probatur breviter 1. Talis deſtructio neque eſt tacita dæmonis invocatio, neque ulla ejusdem honoratio: deſtruens enim non paciſcitur cum dæmone, ſed pactum diſſolvit, neque dæmonem invocat, ſed invocationem per magum ſigno illo factam tollit & impedit; fermè, ſicut, ſi quis cum hoſte pactus ſit, ut datô ſignô occurrat, & mœnia conſcendat, licitum & bonum eſſet illud deſtruere ſignum, atque ita impedire inferendam noxam, quin ullatenùs invocetur vel honoretur hoſtis: ita pariter non invocabitur vel honorabitur dæmon, ſi ejus ſigna deſtruantur.

Conf. Si ſaga certis carminibûs, aliiſque nefandis precibûs cuiquam nocere vellet, nullum ſupereſſet dubium, licitum eſſe eandem impedire: cur ergò non ſimiliter liceat deſtructione ſignorum impe-

dire, ſi poſitîs ſignîs dæmonem ad nocendum accerſat? Pariter ſi quis pactum cum ſicario, alióve homine malitioſo fecerit, ut certô poſitô ſignô occidat, aliúdve nocumentum inferat, quis dicat, illicitum eſſe tollere ſignum? Quis in ejus deſtructione honorem quemquam ſicario deferendum cenſeat? Ergo pariformiter nullus in deſtructione ſigni magici diabolo deferetur honor, nec ullum adeò cenſeri poterit peccatum. Vide plura in P. Delrio diſq. mag. lib. 6. c. 2. ſect. 1. q. 3, pereleganter hanc materiam perſtringente. Sed

N.63. Objicitur 1mò: Divus Hieronymus in vita ſancti Hilarionis refert, ad Virum hunc ſanctiſſimum adductam fuiſſe puellam à dæmone poſſeſſam, atque dæmonem exclamâſſe, ſe invitum in puellam ingreſſum, neque egreſſurum niſi priùs ſignîs maleficii ablatîs: *Noluiſſe autem Virum ſanctum, antequam purgaret virginem, ſigna jubere perquiri, ne aut ſolitis incantationibus receſſiſſe dæmon videretur, aut ipſe ſermoni ejus accommodâſſe fidem*, ùt ait idem Divus Hieronymus. Ergò.

℞. Negandô conſequentiam; verba quippe Divi Hieronymi aliud nîl referunt quàm ſanctum Hilarionem noluiſſe ſigna perquiri, nè populo ignoranti incantationibus dæmon receſſiſſe videretur, aut nè ſermonibus ejus, quòd abſque ſignis perquiſitis exire nequeat, fidem accommodâſſe cenſeatur: quòdſi ergo abſit error atque ita ſcandalum populi, neque falſis hujuſcemodi

modi dictis fides accommodetur, à ſenſu contrario optimum erit deſumptum argumentum, id vel maximè licere: an porrò expediat, mox quæſtione ſequenti dicemus.

Objicitur 2dò. Cùm ſignum amovetur, nec expectatur ſanitas à Deo, nec Sanctis, nec ab humana voluntate, nec à cauſa naturali: ergò à diabolo. Subſumo. Sed juxta Divi Leonis aphoriſmum ſerm. 19. de Paſſione. *Beneficia ejus cunctis ſunt nocentiora vulneribus*, ergò N. 64.

Confirmatur 1mò. Amotio ſignorum eſt cultus diaboli: eſt etenim proteſtatio, quòd poſſit nocere, quomodocunque voluerit, item quòd ſit verax atque fidelis, ſervans pactum, quamdiu pacti adſunt poſita ſigna.

Confirmatur 2dò. Qui ſignum tollit intentione noxam ulteriùs inferendam tollendi, miſcet ſe pacto, quod maleficus cum diabolo iniit: pactum enim aliud non erat, quàm ut poſitô ſignô nocere incipiat, amotô verò nocere deſinat; ſed hoc denuò eſt illicitum: Ergò.

℟. Ad argumentum, in caſu non expectari illum poſitivum effectum, ſed meram ceſſationem, ſeu privationem actionis, nè videlicet dæmon ulteriùs noceat: hanc autem privationem licitè à dæmone expectari, in comperto eſt: ſic pariter recepta à diabolo chyrographa, quibus ali-

qui eidem ſuam animam venalem faciunt, comburuntur, ne diabolus ulteriùs noceat.

Ad Confirmationem primam negatur antecedens cum ſua probatione: tollere ſiquidem ſigna, tantùm eſt proteſtari, dæmonem ex permiſſione divina nocere poſſe, econtra iîs deſtructîs ceſſaturum à noxa inferenda, non quia ſit verax & fidelis, ſed quia vî pacti haud ampliùs allicitur: conſtat enim dæmonem vî pacti ordinariè, ſine pacto raro nocere.

Ad Confirmationem ſecundam denuò negatur antecedens cum ſua probatione: qui enim pactum deſtruit, ſe pacto non immiſcet. Deinde licet fortè maleficus cum dæmone pactum inierit duplex, unum videlicet ad poſitionem ſigni inchoâre vexam, & alterum ad deſtructionem ſigni ceſſare à vexa, reverà tamen deſtruens maleficii ſigna non intendit dæmonem inducere ad ſervandum pactum, ſed intendit præciſè deſtruere ſignum prioris pacti, quo dæmon ad nocendum alliciebatur: quæ duo valde diverſa ſunt. Vide plura alia ſimilia argumenta ſoluta apud Delrium citatum, item apud P. Leſſium lib. 2. de mag. cap. 44. Dubio 6.

Mihi enim in omnibus brevitati ſtudenti ad alia utiliora properandum.

*Quæſt.*

## *Quæſtio tertia.*

### *An neceſſarium vel utile ſit perquirere maleficii ſigna?*

DIco, quantumvis licitum ſit perquirere maleficii ſigna, id tamen nullatenus eſt neceſſarium. Ita ſæpiſſimè Laudatiſſimus P. Candidus Brognolus in Alexic. diſp. 3. de curatione morali. n. 482. N. 65.

Probatur 1mò ex facto Divi Hilarionis, qui ſigna maleficii perquiri nolebat, antequam â dæmonio liberâſſet virginem, prout mox quæſtione præcedenti relatum. Neque dicas, exinde ſequi, duntaxat illis, qui Hilarioni ſanctitate & miraculorum donô ſunt ſimiles, non eſſe neceſſarium, quærere maleficii ſigna: eſſe nihilominùs abſolutè neceſſarium donô miraculorum carentibus.

Verùm negatur abſolutè ſuppoſitum, videlicet expulſionem dæmonum, aut curationem maleficiorum poteſtate Exorciſtica factam eſſe miraculoſam: ad hanc ſiquidem DEus concurſu ſuo ordinario vî decreti & promiſſionis factæ concurrit, non ſecùs, ac ad effectum reliquorum Sacramentorum: horum autem effectus neutiquam cenſetur miraculoſus: ergò nec Exorciſmorum effectus miraculoſus dicendus erit.

Pro-

Probatur Concluſio 2dò ratione : ſigna illa maleficii v. g. certæ ligaturæ, nodi, plumæ, aliáve id generis plurima, ex ſe & ex natura ſua non ſunt nociva, ſed dæmonis duntaxat ad nocendum allectiva; ergò rejecto per Exorciſmos dæmone omnem ceſſare noxam diabolicam neceſsè eſt.

Subſumo. Sed omnibus manifeſtum eſt, dæmonem poſſe expelli ſine perquiſitis ſignis : poteſtas ſiquidem Exorciſtis in ordine Exorciſtatûs tradita abſoluta eſt, non conditionata ; illimitata, non limita, & reſtricta, atque à dæmonis voluntate dependens, prout pluribus eſt probatum p. 1. Armamentarii cap. 1. quæſt. 4ta, & alibi. Sæpè ergo nec dubium, quin irrequiſitis ſignis poſſit expelli. Confirmatur : diabolus non eſt neceſſariò & coactè alligatus ſignis : poteſt enim nocere etiam ſine ſignis, & deſinere etiam nocere poſitîs ſignîs, & non deſinere ſublatis ſignîs : ergò &c.

N.66. Dico 2dò. Etſi ex hiſtoriis fide dignis conſtet perſæpè utile fuiſſe ad tollendum maleficium, ſuſtuliſſe maleficii ſigna, hujus tamen praxis Exorciſtis nec videtur abſolutè conſulenda, neque ordini Exorciſtatûs ſatìs honorifica. Ita colligitur ex proximè laudato Brognolo.

Prima pars ſatìs liquidè demonſtratur à P. Delrio diſq. mag. lib. 6. C. 2. ſect. 1. q. 3. quo loco plures refert hiſtorias, luculentâ

culentâ experientiâ teſtatas, maleficia per ablationem ſignorum maleficorum fuiſſe ſublata.

Altera pars ex eo ſuadetur, quòd prima Veritas in Evangelio ſæpè promittat liberationem abſolutam & illimitatam, quin unquam mentionem faciat perquirendorum ſignorum, ut fusè prima parte armamentarii ex diverſis textibus tum Scripturæ, tum Sanctorum Patrum eſt probatum. Tum etiam, quia vel maximè condecens eſt, Exorciſtam operi exorciſtico incumbentem, procedere ſecundùm poteſtatem ſibi traditam ejiciendi dæmones. & curandi maleficia per Exorciſmos, parùm attendendô pacta diaboli, ſibi ceu Judici legitimo ſubjecti: non enim Judex forenſis iniqua hominum ſibi ſubditorum pacta ſcrutatur, ſed tradita ſibi deſuper poteſtate utitur: cur ergò Judex ſpiritualis pacta dæmoniaca iniquiſſima, atque omni jure nulla attendat? cur pacta diſſolvat, quæ nullo jure ſunt valida?

Certè ipſa experientia non raRò teſtatur, facillimô negotiô curari maleficia ſine perquiſitis ſignis per ſolum præceptum, & ſæpiſſimè non curari etiam concrematîs ſignîs. Teſtatur id in arte exorciſtica nulli ſecundus P. Brognolus, loc. cit. Teſtari id pariter poſſum crebrâ propriâ experientiâ: vidi quippe non ſemel concremari maleficii ſigna, & perſonam minimè ſanari: N. 67.

nari: vidi econtrà ſine perquiſitione ſignorum perſonas maleficiatas non raro per Exorciſmos illicò ſanitati reſtitui. Et quid multis veritatem iſtam ſole meridiano clariorem comprobem, cùm, licèt ipſa prima Veritas crebram de dæmonibus ejiciendis in Evangelio mentionem faciat, perquirenda nihilominùs ſigna altum ſileat, nec eandem Patrum comprobet authoritas, ſed factum eorundem neget, ut mox de divo Hilarione dictum.

Præterea licèt concrematio ſignorum pactum diſſolvat, & maleficium tollat; quis tamen credat, dæmonem non poſſe nova ponere, ſi velit, qui ceu Leo rugiens circuit, quærens quem devoret? aut certè quis credat, non ſæpè ſigna in tantùm occultari, ut nullâ induſtriâ inveniri queant? quis tamen credat, maleficium tunc fore incurabile? certè ſi verum foret ejusmodi judicium, vana eſſet Eccleſiæ poteſtas, vanus Exorciſtatûs ordo: non enim Exorciſta poteſtate propria, aut dependenter à dæmonis voluntate, ſed virtute & poteſtate divina ſolvit maleficia, ùt latè in prima parte Armamentarii cap. 1. q. 1. dictum. Quis autem ſanæ mentis credat, divinam impediri aut retardari virtutem per dæmonis inſtrumenta?

N. 68. Denique quantumvis licitam dixerim ſignorum maleficorum perquiſitionem, ea nihilominùs per accidens non raro eſt

peri-

periculoſa: quidam enim per ſpeculum puriſſimum & chryſtallinum eadem perquirenda judicant: in loco enim, ubi ſigna ſunt recondita, ſpeculum deſuper retentum maculandum judicant: ſed unde macula iſta? ex veneno ordinariè admixto reſpondent: verùm ſi venenum eſſet admixtum, non uni ſed omnibus, plùs ex humo effoſſa, quàm recondita, nocerent, quod experientia ipſa reprobat: Sæpè enim manibûs contrectantur ſine omni prorsùs nocumento. Alii certîs ritibûs virgam ſcindunt, quæ ſigna maleficii non secùs, ac virga coryli theſaurum latentem denotat: ſed unde virtus iſta? quæ quisquillias duntaxat à ſaga reconditas indicet, non item alias ejusdem prorsùs generis & ſpeciei? certè eadem non videtur ſibi divinitùs tradita, nec à natura conceſſa: ergò neceſſariò à diabolo expectanda. Nec paritas ulla eſt de corylo; hic enim univerſaliter omnia ejusdem generis metalla denotat; & non tantùm à dæmone abſcondita, econtrà virga à dæmone duntaxat, vel ſagâ recondita ſigna. Addo, plures etiamnum de licititate coryli dubitare. Alii ſagas & maleficos imò ipſosmet diabolos conſulunt, qui ea nonniſi cum animæ lucro indicant, & per novum maleficium tollunt, quæ omnia & plura his ſimilia ſunt abſolutè prohibita.

Porrò

N. 69. Porrò ſi quæras, quomodo cognoſci poſſint loca, in quibus maleficii ſigna ſint abſcondita?

Reſpondeo: cùm in locis diverſis abſcondi ſoleant, videlicet ſub liminibùs, in lectis, vel ipſis lectiſterniis, veſtibus, domûs angulis, aut aliis locis, in quibus ſolent homines vel jumenta morari, aut per illa tranſcendere: aliquando verò ſoleant occultari in puteis, ſub ahenis, cadis ad corrumpendam cereviſiam, aut vinum aduſtum &c. quarè cùm ita ſit, optimum erit, ſi maleficiô affectus ipſemet obſervet, quo loco maximè affligatur, v. g. ſi in lecto, talibûs indutus veſtibûs &c. aut utrùm animalia contremiſcant, tranſire nolint, aut omninò concidant in certo loco: Ibi enim probabiliùs abſcondita manent maleficii ſigna: quæ inventa, igne priùs benedicto, aut ſaltem aqua priùs benedicta aſperſo, comburenda ſunt. Secùs enim, ſi igne priùs non benedicto comburantur, fumus aſcendens nova ſæpè maleficia cauſat, prout duabus perſonis in pago non procul Friſingâ diſſito, factum ſcio, ubi hæ perſonæ ità infectæ ſunt, & tandem per benedictiones curatæ. Sed -

N. 70. Objicitur contrà Concluſionem: in Rituali Romano expreſsè habetur: *Jubeat Exorciſta dæmonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica ſigna, vel inſtrumenta, quæ, ſi obſeſſus ore ſumpſe-*

*ſumpſerit, evomat, vel ſi alibi extra corpus fuerint, ea revelet, & inventa comburantur.*

Confirmatur: Hæc fuit praxis communis antiquorum, & etiamnum eſt modernorum Exorciſtarum, à qua utique non eſt facilè recedendum.

Reſpondeo, ex rituali rectè inferri licitatem, non neceſſitatem: neque enim rituale in omnibus eſt obligatorium, ùt conſtat ex verbis Conſtitutionis Pauli V. quæ incipit *Apoſtolicæ Sedi*, atque habetur in principio Ritualis præfati, ubi expreſsè jubentur ſervari duntaxat, quæ pertinent ad Sacramentorum adminiſtrationem: econtrà verò reliqua, ad viſitationem, curam infirmorum &c. ad majorem præſcribuntur commoditatem, ùt conſtat expreſsè ex Rubrica Tractatu *de viſitatione & Cura infirmorum*, ubi ſequentia habentur: *Sequentes preces omnes, vel ex parte, prout tempus vel ægrotorum conditio feret, arbitriô Sacerdotis dici vel omitti poſſunt.* Eadem autem videtur eſſe ratio tollendorum maleficiorum; conſequenter eadem diſpoſitio. Ad Confirmationem dico, quantumvìs plures omni tempore maleficii ſigna perquiſierint, ex eo tamen nullam inferri neceſſitatem; cùm ſæpiſſimè ſignîs etiam non inventîs maleficia curaverint, & etiamnum curent, prout experientia ipſa teſtatur.

## *Quæſtio quarta.*

### *An liceat ponere ſigna, quibûs poſitìs expirat, vel deſtruitur pactum dæmoniacum?*

ADvertendum: ſigna poſita in ordine ad pactum dæmoniacum diſſolvendum eſſe duplicia: alia quippe ſunt, quibus pactum præcisè diſſolvitur, ità, ut nullus effectus poſitivus, ſed mera ceſſatio à malefaciendo expectetur. Alia verò, quibus non nuda ceſſatio, ſed poſitivus ſimul effectus expectatur. H. N.

N. 71. Dico: Licet contrarium ſignum apponere, quo poſito obligavit ſe dæmon à nocendo deſiſtere; dummodo ſignum appoſitum bonum ſit, vel ſaltem de ſe indifferens, & eo fine apponatur, ut ceſſet dæmon à nocumento, & confæderatio facta diſſolvatur. Ita Leſſ. lib. 2. de Magia cap. 44, Dub. 6. n. 55. Suarez lib. 2. de ſuperſtit. cap. 17. n. 16. Palao de ſuperſtit. tract. 17. punct. 10. Diſp. 11. n. 10. Sanchez, Sylveſter. Probatur. Licet omnimodè evertere ac impedire pactum dæmoniacum, intentione, ut dæmon ceſſet à noxa inferenda: ſed tale ſignum contrarium præcisè pactum evertit ac impedit: ergò. Confirmatur: Licet deſtruere ſigna maleficii, ut pactum evertatur, ergò

pariter

pariter ad eundem effectum licet ponere ſigna contraria: Licet pariter ſine deprecatione aut amicitiæ nota verbô adigere dæmonem, ut nocere deſinat: ergo id pariter licebit facere ſignis contrariis poſitis.

Dixi tamen notanter *1mò* dummodo ſignum de ſe bonum ſit, vel ſaltem indifferens, ſi enim ab intrinſeco malum ſit, vel aliàs prohibitum, palam eſt illicitum eſſe. N. 72.

Dixi *2dò*, & *eo fine apponatur, ut ceſſet à nocumento.* Si enim non nuda ceſſatio, ſed poſitivus inſuper effectus ſperaretur, illicitum eſſet. Ratio porrò diſpar. eſt, quia hoc eſſet ſignum amicitiæ, & benevolentiæ, quo à dæmone gratus ſibi ſperaretur effectus: illud econtra non eſt ſignum amicitiæ, ſed nuda pacti deſtructio, quo etiam ergà inimicos uti licet. Ex his

Infertur 1mò. Sequentia eſſe licita. N. 73.
1mò. Si venefica te tangat, eandem ad pactum diſſolvendum repercutere licet. *2dò.* Si à ſaga ſis læſus, eidem panem & ſalem tribuere: dicitur enim teſte Leſſio, talî modô maleficium reddi inefficax. *3tiò.* Licet Judicibus lavare maleficos, & pilos eorum abradere, quando torquendi ſunt, ſi timeant in pilis aliquod maleficium occultari, quo inſenſibiles tormentis reddantur. *4tò.* Eadem ratione licitum eſt, ſagas, aliósque maleficos in aheno, aut caldario conſervare, quin unquam ad ter-

ram dimittantur. *5tò.* Tandem hac ratione plura alia, quæ prorsùs videntur inutilia, excuſari poſſunt: e. g. diverſæ herbæ naturales, fructus arborum, atque ſimilia plura contra maleficia adhiberi ſolita.

N. 74. Infertur 2dò. Illicita eſſe ſequentia. 1mò. Si quis tempore nocturno à ſtrygibus vexatus, cuſſinum dejiciat, intentione, ut ſtryx in eo reſideat. 2dò. In ſimili caſu eas invitare, ut ſequenti die precariò quidquam accepturæ adveniant. *3tiò.* Sagas quoquo modo cogere ut accurrere, ſeque manifeſtare debeant. Hæc & plurima ſimilia, ubi poſitivus ſperatur effectus, illicita ſunt, atque ſuperſtitioſa. Sed

N. 75. Objicitur contra Concluſionem: Si contrarium ſignum apponatur, effectus expectatur à dæmone: ergò.

Confirmatur: Si ex appoſito ſigno ſperatur dæmonem à noxa eſſe ceſſaturum, ſperatur dæmonem fore fidelem in pactis & promiſſis ſuis: Sed hoc eſt ei honorem tribuere: ergò.

Reſpondeo negandô ant. cum ſuppoſito argumenti; nullus enim ſperatur effectus ſed ſola ceſſatio noxæ: quòd verò ſanitas maleficiato denuò reſtituatur, id præcisè per accidens, imò ceſſationis à noxa inferenda effectus eſt.

Ad Confirmationem negatur Major argumenti: dæmon enim ordinariè nocet

alle-

allectus à ſagis: cùm ergò ceſſantibus ſignis haud ampliùs alliciatur, meritò ſperatur, eum haud ampliùs nociturum; non propter fidelitatem, & veracitatem ſuam, ſed propter ceſſationem ſigni allectivi.

Cæterùm licèt hæc omnia vera ſint, tum à Theologis, tum ex communi praxi comprobata; homini nihilominùs Chriſtiano dignius videtur aſſumptô inexpugnabili Fidei ſcutô à Chriſto omnibus traditô diabolicis ſimul & magicis reſiſtere poteſtatibus: non enim jubemur diabolo reſiſtere per poſitionem ſignorum contrariorum, ſed in fide & fiducia, divo id docente Petro. 1. Pet. 5. *Cui reſiſtite fortes in fide.* Quarè ut ſcutô hôc inexpugnabilî omnia facili negotio maleficia tollantur & diſſipentur, ſit

## *Quæſtio quinta.*

## *Quomodo maleficia ſingula ſint per Exorciſmos deſtruenda, & curanda?*

ADvertendum: imò. Non eſſe ſermonem de maleficiis purè naturalibus, hæc enim non per Exorciſmos, ſed per medicinas naturales eſſe curanda, jam ſuprà cap. 1 mò confeſſi ſumus, ea ratione ducti, quòd naturalia naturalibus ſint curanda. Sola ergò quæſtio N. 76.

ſtio eſt de maleficiis, ſuper-ſeu præternaturalibus, ac ſimul de mixtis ſupra cap. 1. q. 1. explicatis.

N. 77. Advertendum 2dò: Remedia, item & diſpoſitiones, fusè in prima parte Armamentarii cap. 5. & 6. pro perſonis energumenis liberandis traditas, eſſe pariter à perſonis maleficio aliquo infectis uſurpandas: cùm enim in maleficio hyperphyſico & mixto dæmon vel realiter vel poteſtativè præſens ſit, atque mala itentidem cauſet; quidquid contra dæmonem vim & efficaciam habet, pariter contra maleficia habere neceſsè eſt: quare ſi Exorciſta maleficia tollere, & auferre deſideret, materiam locô proximè citatô traditam obſervet. Præſertim verò vivam tum in ſemetipſo, tum in ſuo patiente fidem excitare ſtudeat: ſicut enim *omnia poſſibilia ſunt credenti* Marci 9. v. 22. Ita è contrario hæſitanti ac fluctuanti nihil poſſibile. Quòdſi ergo Exorciſta plurimos atque efficaciſſimos uſurpaverit Exorciſmos, & hæſitaverit in corde ſuo, *non æſtimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino.* Jacobi 1. v. 7.

N. 78. Quare antequam Exorciſmum applicet, benè motiva Fidei in prima parte Armamentarii cap. 3. propoſita meditabundus perpendat, eademque ſuo patienti inculcare ſtudeat; quinimò pro faciliori memoriæ adjutorio quosdam Sacræ Scripturæ verſiculos, tanquam à prima Verita-

te,

te ; tam falli quàm fallere neſcia, prolatos, ſæpiùs ruminare, ac conſiderare plurimùm juvabit, quorum aliquos pro minùs in Scriptura verſatis adduco.

Dominus Protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Pſ. 26. v. 1.

Si conſiſtant adversùm me caſtra, non timebit cor meum. Pſ. 26. v. 3.

Si conſurgat adversùm me prælium, in hoc ego ſperabo. ibi.

In Te Domine ſperavi non confundar in æternum. Pſ. 30. & 70. v. 1.

Invoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me. Pſ. 49. v. 15.

Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem, ibidem v. 13.

Quoniam in me ſperavit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. ibidem v. 14.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. ibi v. 15.

Nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt. Eccleſ. 2. v. 11.

Non eſt confuſio confidentibus in te. Dan. 3. v. 41.

Cogitate per generationem, & generationem, quia omnes, qui confidunt in eum, non infirmantur. Macab. 2. v. 61.

Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis : omnis

enim, qui petit, accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur, Matth. 7. v. 7. & 8.

Creditis, quòd poſſum facere hoc? ſecundùm fidem veſtram fiat vobis. Matth. 9. v. 28, & 29.

Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic: tranſi hinc, illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis Matth. 7. v. 29.

Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis. Matth. 21. v. 22.

Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti. Marci 9. v. 22.

Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur; in nomine meo dæmonia ejicient. Marci 16. v. 17.

Amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet. Joan. 14. v. 12.

Omnis qui credit in illum, non confundetur. Rom. 10. v. 11.

Hæc ecce & plurima verba ſunt primæ Veritatis, de quibus ipſamet Matth. 24. v. 35. teſtatur: *Cœlum & terra tranſibunt, Verba autem mea non præteribunt*: Sæpiùs ergo & præſertim ante, & ſub actuali Exorciſmo Exorciſta mentis ſuæ oculos ad eandem dirigat, fiduciámque certam concipiat liberationis futuræ.

N. 79. Neque veritati conſentanea videtur doctrina Sanchezii lib. 2. moral. cap. 24.

& poſt

& poſt ipſum Georgii Teretii in confeſſione & inſtructione Idiotæ, maleficiatos per ſolos Exorciſmos rarò curari; contrarium quippe teſtatur expertiſſimus in arte P. Brognolus, contrarium experientia certa, prout plurimos poſſem afferre caſus, niſi brevitas ſilentium indiceret, contrarium denique ratio ipſa: etenim ſi præter Exorciſmos ordinariè alia Sacramentalia, & ab Eccleſia ſpecialiter benedicta eſſent adhibenda, illa utique non eſſent inſtituta ad morbum naturalem curandum (hoc enim non Exorciſtis ſed Medicis incumbit) ſed ad dæmonem abigendum, ne ulteriùs nocere queat: atqui longè potentior & efficacior eſt Exorciſmus, quàm omnia reliqua benedicta: hic enim ex opere operato infallibiter ſuum conſequitur effectum, prout in prima parte cap. 1. eſt explicatum, Sacramentalia verò ex opere duntaxat operantis ſuum habent effectum, ut conſtans eſt Theologorum ſententia, ergò.

Nihilominùs in maleficiis mixtis, vel diuturnis & inveteratis præter Exorciſmos remedia naturalia eſſe adhibenda innegabile videtur; non eâ quidem intentione, ut maleficium quà tale, ſed ùt morbus naturalis ceu maleficii effectus curetur. Cæterùm, cùm diverſa ſint maleficiorum genera, de ſingulis in particulari videtur tractandum. Unde ſit.

## *Modus deſtruendi maleficium infantium, ac parvulorum.*

N. 80. CUm ad omnem maleficorum curationem neceſſaria ſit verà fides, atque roborata fiducia, cujus parvuli ob defectum uſûs rationis impotes ſunt: poſtquam Exorciſta ex ſignis p. 1. cap. 1. ſpecificatis maleficium cognoverit, imprimis eorum parentes, vel defectu eorum nutrices, aliiſque curam habentes inſtruendi ſunt in ſequentibus; 1mò parvulos ordinariè maleficiis affici ob negligentiam parentum, aut aliorum curam eorundem habentium, qui eos DEO commendare, atque ſigno S. Crucis munire negligunt, prout dictum in p. 1. cap. 2. q. 2.

2dò. Nil aliud ad curationem requiri, quàm Fidem vivam, & roboratam fiduciam: in quem finem breviter diſponendi ſunt modô parte prima cap, 6. præſcriptô.

3tiò ipſimet Parentes corde & animo ante Crucifixi imaginem genuflexi actus Fidei & fiduciæ eliciant, quod commodè ſequenti vel ſimili formula fieri poteſt.

N. 81. O Mein HErr / und GOtt Chriſte JEſu / mein Erſchaffer / und mein Erlöſer / ſihe ich dein unwürdigſte Creatur / durch dein heiliges Blut erlöſet / bette Dich an Fußfällig ſambt dem Vatter und Heil. Geiſt / als meinen Allmächtigen / Allerweiſiſten / Barmhertzigiſten Vatter / Dich demüthigiſt bit-

bittend / du wolleſt dich diſer armſeeligen Creatur / die von deinem årgiſten Feind ſo ſehr gequålet wird / gnådigiſt erbarmen: dann als ein Allmåchtiger GOtt kanſt du ihr augenblicklich helffen / als ein Allwiſſender GOtt erkenneſt du / wie ihr zu helffen / als ein Barmhertzigiſter Vatter begehreſt du ihr zu helffen / inmaſſen du alle Våtterlich einladeſt: Kommet zu mir / die ihr arbeitet / und beladen ſeyd / ich will euch tröſten und ſtårcken. Aber ſihe / weilen diſe kleine und unmůndige Creatur zu dir zu kommen / dich umb Barmhertzigkeit anzuruffen / unfåhig / alſo komme ich an ſtatt ihrer mit dem Evangeliſchen Blinden ruffend und ſchreyend: JEſu du Sohn David erbarme dich ihrer: und wann ich villeicht durch mein Mißvertrauen auf dein unendliche Barmhertzigkeit / oder andere meine Sůnd und Nachlåßigkeiten ein Urſach wåre dieſes Unheyls / jetzt vor deiner Gőttlichen Majeſtåt darnider ligend / mit zerknirſchtem Hertzen / bitte und ſeufftze ich umb Barmhertzigeit / und Nachlaſſung aller meiner Nachlåßigkeiten / Sůnd und Laſter mit kråfftigem Verſprechen / nit allein mein Leben hinfůran zu beſſeren / dich von Hertzen zu lieben / ſondern auch dahin befliſſen zu ſeyn / damit diſes mein Kind / ſo es ſeinen Verſtand erreichet wird haben / diſer groſſen Gutthat halber dir danckbariſt diene / dich beſtåndig lobe und liebe. Ich bitte dich derohalben durch deine unendliche

Gůte /

Güte/ und Barmhertzigkeit/ durch die Glory deines allerheiligſten Namens JEſu / durch die unendliche Verdienſt deines bitteriſten Leydens / durch die Verdienſt deiner allerheiligſten Mutter Mariä / meiner heiligen Patronen/ und abſonderlich durch die groſſe Liebe des Heil. Schutz-Engels diſes Kinds/ du wolleſt dich ſeiner (oder ihrer) erbarmen; ihne (oder ſie) tröſten / ſtärcken/ und von aller Zauberey/ von allem Teuffliſchen Gewalt erledigen / auch hinfüro unter deinem Göttlichen Schutz und Schirm erhalten. Amen.

Finita hac oratione poterit etiam ſequentem contra dæmonem adjungere deteſtationem.

Und du vermaledeyter Teuffel / du abgeſagter Feind GOttes / du Abtrinniger von meinem und deinem Erſchaffer / durch den Gewalt/ ſo ich durch den Heil. Tauff ſambt dem Heil. Glauben bekommen / aus tragender Pflicht und Schuldigkeit zu diſem meinem Kind befihle und ſchaffe ich dir in dem allmächtigen Namen JEſus/ daß du unverzüglich zernichteſt alle Zaubereyen / ſo durch dich ſelbſten / oder durch deine zauberiſche Diener / oder Dienerinnen gemachet/ dich hinweck macheſt / und hinführo keinen Gewalt mehr habeſt : Allermaſſen ich diſes Kind habe befohlen unter den Schutz des allerheiligſten Nahmen JEſus/ in welchem alles

alles die Knie biegen muß / was im Himmel / auf Erden / und unter der Erden iſt.

Peractîs omnibûs præfatîs jubeat Exorciſta, ut tenens infantem in ulnis ſuis, coram ſe ſtante genuflectat certâ fiduciâ fretus liberationis futuræ : quo facto ipſe ſtans ſequentia recitet.

℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Domine JEſu Chriſte Fili DEI vivi, qui dediſti Apoſtolis & fidelibus tuis poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & ut languores curarent; Te ſuppliciter exoramus, ut per merita, & interceſſionem Beatiſſimæ Matris tuæ, Omniúmque Sanctorum tuorum, quæ nos unà cum his famulis tuis devotè imploramus, infantem iſtum ab omni poteſtate ſatanæ & miniſtrorum ejus potenter eripere, atque ab omni ægritudine clementer liberare digneris, qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritûs Sancti DEus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

*Exor-*

*Exorciſmus ad maleficium parvulis illatum deſtruendum, ab Exorciſta ſedente, capite cooperto, fide firmiſſima & voce clara faciendus.*

N. 82. EGo N. ut Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in nomine JEſu Chriſti præcipio tibi dæmon, qui maleficium perfeciſti in corpore iſtius infantis, ut ſtatim ſine omni mora deſtruas omne maleficium, ab eo auferas omnem ligaturam, facturam, faſcinationem, ac quamcunque moleſtiam ac vexationem; atque totaliter ab eo recedas, trahendô tecum omnes fæces, ac immunditias, ſi quas in corpus illius immiſiſti; nec ampliùs habeas poteſtatem ei apparendi ſub quacunque forma vel figura, aut vexandi illum intrinſecè vel extrinſecè, die vel nocte: aut perturbandi ſenſus ejus interiores vel exteriores: vel quocunque alio modo moleſtandi: ſic volo, ſic jubeo ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in Nomine † Patris, & † Filii, & † Spiritûs ſancti. Amen.

Poſteà

Poſteà ſurgens ſequentem ſuperaddat Benedictionem.

Dominus noſter JEſus Chriſtus ✝ apud te ſit, ut te defendat: intra te ✝ ſit, ut ✝ te conſervet: ante te ✝ ſit, ut te ducat: poſt te ✝ ſit, ut te cuſtodiat: ſuper te ✝ ſit, ut te benedicat, qui cum Patre & Spiritu ſancto in unitate perfecta vivit in ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedictio DEI Omnipotentis ✝ Patris, & ✝ Filii, & ✝ Spiritûs ſancti deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. Amen.

### *Modus parvulos à maleficiis præſervandi.*

Cùm Divo teſtante Auguſtino ſerm. 2. N. 83.
Dom. 23. poſt Trinitatem potiſſima infectionis parvulorum cauſa ſint ipſa peccata parentum, ac negligentia, DEO eos commendandi, commiſſa. ſummè ad parvulos à maleficio præſervandos præprimîs neceſſarium eſt, ut parentes ipſimet, vel eorum curam habentes ſe in gratia conſtituant, eos ſæpè Deo commendent, ſigno crucis muniant, aliáque præſtent, quæ pro præſervandis energumenis liberatis remedia ſunt præſcripta p. 1. cap. 6. Experientia quippe conſtat, ſagas, aliósve maleficos

ficos nullam habere poteſtatem, parvulos ſigno crucis communitos, & à parentibus Deo commendatos maleficiis inficiendi, prout mirabile exemplum refert Caſparus Schottus in Phyſica curioſa lib. 1. p. 2. q. 23. §. 4. ubi dicit, ſagam confeſſam eſſe, ſe à dæmone plùs quàm quinquagies deportatam, ut puerum ſui affinis occideret, ſed tamen prævaluiſſe nunquàm, eoquòd ſemper illum invenerit ſignô crucis & ſanctis orationibus à parentibus benè munitum: nec mirum; etenim ut ait Sapientiſſimus Salomon Eccleſiaſtici cap. 3. *Benedictio Patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta.* 2dò Juvat plurimùm, non ſolo crucis ſigno & communi benedictione munire parvulos, ſed ſimul actum deteſtationis contra diabolum cum formali præcepto, ne ullatenùs ſive per ſe ſive pèr ſagas nocere præſumàt, apponere, quod hac vel ſimilî convenientî formulâ à parentibus fieri poterit.

Ich befihle dir du abtrünniger Teuffel / von deinem und meinem GOTT / ja dem gantzen hölliſchen Geſchwader in dem allerheiligiſten Namen JEſus / daß keiner ſich getraue in das Zimmer ( oder Kammer ) hereinzukommen / noch ein Hex / oder Zauberer hereinzuführen / meinem Kind den mindiſten Schaden zuzufügen : ſo flihet dann ihr unreine Geiſter / dann alſo befihle ich euch im Namen GOttes † Vatters / und

des

des † Sohns / und des † Heiligen Geiſtes.

3tiò. Si fortè præter opinionem animadverterent parvulum denuò cruciari, illicò ſignô crucis ſuper infante formatô dæmoni præcipiant, ut nocere deſinat, atque totaliter recedat. Hoc quippe profuiſſe plurimùm ſæpiùs expertus ſum.

4tò. Cibus & potus aquâ benedictâ aſpergatur, & ſignô crucis muniatur. Quinimò fructuosè aliquoties ab ipſo Sacerdote benedicetur.

5tò. Cùm homines malefici per Exorciſmos eccleſiaſticos devicti, omni niſu nova fabricare maleficia, aut alio ſaltem modo nocumentum inferre ſatagant infantes accipiendô in brachia, ut interim halitu fœtido inficiant, aut oſſa confringant, moneantur nutrices, ne mulieres ſuſpectas accedere, nec ulnîs aut brachiîs eos tenere permittant.

6tò. Denique Benè provideantur Brevibûs ſacrîs, Agnîs DEI, Reliquiîs ſanctorum, & aliîs ab Eccleſia benedictîs: Specialiter verò eliminentur omnia ſuſpecta amuleta fortè à vetulis, carnificibus, circumforaneis ceu remedia (ùt jactitant) præſtantiſſima, & efficaciſſima: ſicut enim nulla eſt Conventio Chriſti ad Belial, ita nullus effectus exorciſmorum, ubi ſigna diabolica ſunt admixta.

## *Modus deſtruendi maleficium in matrimonio factum.*

N. 84. PLurima mala oriri ex impedimento Ligaminis ſeu in matrimonio facto, unà cum ſignis illud dignoſcendi, ſuprà cap. 1. q. 4. n. 20. tradidimus: aliud ergo reſtare non videtur, quàm illud tollendi præſcribere remedia.

Primò ergo ante omnia jubeat Exorciſta per S. Exomologeſin expurgari conſcientiam: vix enim, aut ne vix quidem dæmon corpus illius deſeret, cujus anima ſibi per peccatum eſt ſubjecta: deinde more conſueto in fide & fiducia ſecundùm regulas generales ſæpiùs datas inſtruantur.

2dò Doceat Exorciſta maleficiatos conjuges cauſam maleficii cum Raphaële Tob. 6. v. 16. *Audi me, & oſtendam tibi, qui ſunt, quibus prævalere poteſt dæmonium: Hi namque, qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut DEum à ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus: habet poteſtatem dæmonium ſuper eos.*

3tiò Ulteriora verba S. Archangeli Raphaëlis, ceu ſaluberrimum conſilium ſubjungat: *Tu autem, cùm acceperis eam, ingreſſus cubiculum per tres dies continens eſto ab ea, & nihil aliud niſi orationibus vacabis cum ea.*

4tò Itidem exemplô Raphaëlis finem matrimonii doceat, ibidem v. 22. *Accipies Vir-*

*Virginem cum timore Domini, amore filiorum magìs, quàm libidine ductus.*

5tò. Hîs peractîs, in fide & fiducia debitè inſtructi ipſimet conjuges ante Crucifixi imaginem genuflexi ſequentem recitent orationem.

## Gebett die Hexerey der Eheleuten zu vertreiben.

SIhe / O Allermildiſter / Barmhertzigiſter JEſu! ſihe an deinen allergeringſten Diener (oder Dienerin) der ich mich gantz unwürdig erkenne / vor deiner Göttlichen Majeſtät zu erſcheinen: allermaſſen mir wohl bewuſt meine vilfältige Sünd und Laſter / mit denen ich dich beleydiget / abſonderlich / da ich mit rechter Maynung das heilige Sacrament der Ehe nit empfangen / auch den Eheſtand mit rechter Maß nit gebrauchet: muß derowegen vor deiner Göttlichen Majeſtät erkennen und bekennen / daß ich gar wohl verdienet / von dem Teuffel geplaget / und im Eheſtand verhindert zu werden. Aber ich erkenne beynebens / daß du ſeyeſt ein Allgütigiſter / Barmhertzigiſter Vatter / bereit deinem Diener (oder Dienerin) zu helffen / wann er dich nur mit zerknirſchtem Hertzen anruffen thut: ſo reuen mich dann alle meine Sünd / mit welchen ich deine Göttliche Majeſtät abſonderlich in dem Eheſtand beleydiget habe / und N. 85.

ruffe eines Ruffens: O JEſu mein Barmhertzigiſter Vatter verzeyhe mir meine Sünd / jage und treibe von mir ab alle Zauber- und Hexerey / alle Teuffliſche Geſpenſter / welche mich in dem Eheſtand verhinderen; dann ich verſprüche dich hinfüran zu lieben / und wegen diſer Gutthat allzeit zu dancken / abſonderlich wann mir deine unendliche Barmhertzigkeit ſolle Kinder beſcheren / verſpriche ich ſolche zu erziehen in der Forcht und Liebe GOttes / auch allzeit anzuhalten / zu preyſen und zu loben den Allerheiligſten Nahmen JEſus.

## Actus deteſtationis diaboli.

Du aber / vermaledeyter Feind GOttes / du abſcheulichiſter Teuffel / du abtrünniger Rebell von meinem und deinem HErrn / packe dich hinfort mit aller deiner Boß- und Argliſtigkeit; dann durch die Macht und Gewalt / ſo mir von meinem GOTT verlihen / befehle ich dir in dem Allerheiligiſten Nahmen JEſus / daß du alſobald zernichteſt alle Hex- und Zauberey / welche du mir (oder meinem Weib) gemachet / ja dich völlig hinweck macheſt; auch fürdershin keinen Gewalt mehr habeſt / mich in dem Eheſtand zu verhindern / inmaſſen ich lebe / und allzeit zu leben begehre unter dem Schutz des Allerheiligiſten Namens JESUS.

6tò Moneat Exorciſta, ut in fide & fiducia perſeverent, inhæſitanter credentes totum maleficium illicò divina virtute deſtruendum. Tandem more ſolito Exorciſmum contra dæmonem pronunciat.

## *Exorciſmus ad maleficium in matrimonio factum deſtruendum.*

EGo N. ùt Miniſter Chriſti & Eccle- N. 86.
ſiæ, authoritate mihi tradita à Deo & ab Eccleſia in ordine Exorciſtatûs venio contra te maledicte dæmon, Spiritus immunde, qui dereliquiſti DEum Factorem tuum, & oblitus es Domini Creatoris tui, qui uſum Sacramenti Matrimonii à Chriſto inſtituti ad peccata carnalia evitanda, ad conſervationem Reipublicæ chriſtianæ, ad multiplicationem naturæ humanæ, & ad novos milites in Eccleſia DEI procurandos impedire præſumis; & in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti præcipio tibi, ut ſtatim ſine ulla mora deſtruas omne, quod perfeciſti maleficium in hac creatura DEI, atque totaliter recedas ab ea: nec ampliùs poteſtatem habeas illudendi ei, aut per-

turbandi ſenſus ejus ſive externos, ſive internos, velin ea cauſandi odium, abominationem adversùs alterum conjugem, aut ipſum impediendi, quin poſſit uti matrimoniô ſuo ad generandam & enutriendam prolem gratam DEO & hominibus ( ſi perſona maleficiata ſit uxor, dicat: ad generandam, concipiendam, portandam, pariendam, & enutriendam prolem gratam DEO & hominibus) ſed longè ab ea fugias, & tecum trahas omnes fœces, immunditias, & omnes diabolicas infectiones, quas in corpus iſtud usque modò intuliſti, ac tollas omnes diabolicas colligationes, ac quascunque removeas noxas, ita ut creatura iſta remaneat Libera & ſana, acſi nullam moleſtiam diabolicam unquam in ſe ipſa ſenſiſſet: ſic igitur ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ tibi præcipio immunde ſpiritus, ut exeas, & recedas, in Nomine † Patris, & † Filii, & † Spiritus Sancti. Amen.

*Deinde benedicens utrique ſubjiciet.*

N. 87. Creator cœli & terræ, qui primis parentibus, matrimonii fœdere ſociatis dixit: Creſcite & multiplicamini, & replete terram:

ram : ille ſua vos benedictione adversùs omnes diaboli infeſtationes fæcundet, atque multiplicet : & chriſtianæ ſobolis ſalutarem propagationem miſericorditer vobis concedat in Nomine † Patris, & † Filii, & † Spiritûs Sancti. Amen.

Aſpergat pariter aquâ benedictâ, dicens :

Benedicat vos omnipotens DEus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

Denique quia ſigna maleficii perſæpè latent abſcondita in thalamo, toróve conjugali, utiliſſimum erit eosdem benedicere, atque formale adjungere præceptum, quòdſi dæmon ibidem ſive realiter ſive poteſtativè inhabitet, ſtationem ſuam illicò deſerat, nec impoſterùm ullam habere præſumat poteſtatem conjugibus, vel quibuscunque aliis quoddam inferendi nocumentum.

## Benedictio Thalami.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Benedic † Domine thalamum hunc, ut omnes habitantes in eo, in tua pace conſiſtant, & ſeneſcant, & multiplicentur in longitudinem dierum cum incolumitate mentis & corporis, & ad regna Cœlorum

perveniant, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

Creator & Conſervator humani generis, Dator gratiæ ſpiritualis, Elargitor æternæ ſalutis, Tu Domine emitte benedictionem tuam, ſuper hunc thalamum & lectum, ut quicunque in eo requieſcet, in virtute cœleſtis defenſionis ad vitam æternam proficiat, & à ſuis doloribus & languoribus, omnibúsque inſidiis & machinationibus diaboli & miniſtrorum ejus liberetur per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

*Exorciſmus.*

N. 88. CONtra te maledicte dæmon, vel ſi fortè plures ſitis, contra vos, ſpiritus immundi, & apoſtatici conſtitutus ſum à DEO ego N. Miniſter Chriſti & Eccleſiæ. Quapropter poteſtate mihi à DEO & ab Eccleſia in ordine Exorciſtatus tradita præcipio vobis in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti, ut ſi fortè in hoc loco vel lecto aliqua fabricâſtis, & etiamnum conſervatis maleficia, illicò deſtruatis, & ad nihilum redigatis. Eadem authoritate vobis præcipio in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti, ut totaliter à lecto & loco iſto recedatis, & fu-

& fugiatis, nec impoſterùm ullam habeatis poteſtatem conjuges in hoc thalamo commorantes quocunque modo moleſtandi, vel à conjugio impediendi: ſic enim vobis præcipio, ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in Nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

## *Modus Conjuges à maleficio præſervandi.*

UT conjuges à maleficio præſerventur, ſequentia ſervare ſatagant. *1mò* ſervent conſilium Archangeli Raphaëlis ſupra n. 84. adductum. *2dò*. Antequam tempore nocturno ſomno indulgent, ſpecialiter Deo per ferventes orationes ſe ſe commendent. *3tiò*. Maritus contra dæmonem præceptum faciat, ne cubile intrare, aut quamcunque moleſtiam inferre præſumat. *4tò*. Rebûs benedictîs more ſæpiùs dicto, dum ipſimet conjuges, tum etiam lectus eorum provideantur. N. 89.

## *Modus deſtruendi maleficium abortûs, difficilîs partûs, lactis exſiccationis &c.*

PRæmiſſa denuò generali inſtructione de fide & fiducia concipienda, moneat, abortum, aliáque mala infantibus evenire potiſſimùm ex negligentia parentum, quòd eosdem Deo commendare negli-

gant: Ita enim docent Theologi communiter in tract. de gratia, & clarè D. Proſper lib. 2. cap. 23. cauſam inquirens, cur non obſtante decreto divino, quòd Deus omnes homines ſalvos facere velit, tot nihilominùs infantes in utero materno pereant, affirmat, dicens: *Non irreligiosè arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quòd iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus, qua utique, ſi benè eorum uterentur parentes, etiam ipſi per eosdem juvarentur.* Quare seriò cohortetur parentes, ut frequenter pro incolumitate prolis Deum precentur.

*2dò.* Specialiter benedicat matres prægnantes, aut lactis exſiccationem patientes, atque dæmonem omnium ſimilium malorum authorem repellat hac, vel ſimili formula.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Salvam fac ancillam tuam.
℟. DEus meus ſperantem in te.
℣. Nihil proficiat inimicus in ea.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Ore-

Oremus.

Omnipotens ſempiterne DEUS, qui beatæ ſemper Virginis Mariæ uterum mirabiliter fœcundâſti, ut de Spiritu Sancto verum Deum & Hominem, Salvatorem noſtrum JEſum Chriſtum conciperet, imploramus clementiam tuam, ut huic famulæ tuæ ſublato omni dæmonis impedimento & maleficio, ſalutarem matrimonii fructum largiri digneris per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum.

*Exorciſmus ad diſſolvendum maleficium difficilis partûs, abortûs, vel lactis exſiccationis.*

EGo N. ùt Miniſter Chriſti & Eccle N. 9
ſiæ contra te, (vel ſi plures ſitis) contra vos, ſpiritus maligni, qui veſtris maleficiis hanc DEI creaturam infeſtatis, venio, & in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti vobis præcipio, ut illicò deſtruatis omnia maleficia, atque totaliter cum omnibus veſtris fæcibus recedatis, ita, ut hæc Dei creatura prolem conceptam ſine difficultate parere (vel lacte materno alere) & ad majorem Dei gloriam educare queat. Exite ergo & fugite cum omnibus veſtris fæcibus & maleficiis: ita enim vobis præcipio

cipio in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

## *Modus tollendi maleficium impedimenti Butyrizationis.*

N. 92. SIcut hoc maleficium frequentiſſimum eſt, ita diverſimodè à ſagis fabricatur: jam enim vaccæ non aliud reddunt lac, niſi merè ſanguinolentum: jam optimum redditum lac illicò corrumpitur, ut in tenuiſſimum filum duci queat: jam ſecundùm apparentiam optimum, nullo tamen conatu in butyrum tranſit. Unde ad omnia & plura ſimilia ſolvenda maleficia, ſequentia ſerventur.

*1mò.* Si vaccæ lac ſanguinolentum reddant, ſignum eſt, eas prævię à ſaga fuiſſe emulctas, vel certè quoad ſanitatem fuiſſe deſtructas: præſertim, ſi præter morem ſub actuali mulſione inquietæ ſunt. Unde opus eſt, ipſas vaccas benedicere, dæmonique præcipere, ne impoſterum poteſtatem habere præſumat eiſdem quomodolibet nocendi, vel eaſdem per ſe aut certè per ſagas emulgendi. Quinimò ſtabulum ipſum benedicendum & rebus ab Eccleſia benedictis præmuniendum erit.

*2dò.* Caſu, quo lac optimum immediatè corrumpitur, neceſſarium eſt, ut vas, in quod lac intromittitur, ſpecialiter benedicatur; dæmonique præcipiatur, ne poteſtatem habere præſumat lac corrumpendi.

Mo-

Modus hic omninò videtur eſſe legitimus, & non ſemel ab experientia ipſa comprobatus: audivi quippe perſonas non rarò conquerentes de illato maleficio nulla arte ſolubili, quod nihilominùs poſt inſtructionem præviam per præceptum ab ipſiſmet efformatum ceſſavit illicò, præceptum verò aliud non fuit, quàm ut ſuper lactario vaſe formatô crucis ſignô dicerent: *Præcipio tibi dæmon in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ne ullatenus præſumas lac corrumpere, nec butyrizationem impedire, ſed totaliter ab eo recedas & fugias.* Quo facto aquâ benedictâ aſpergatur, ac demum lacte in vas majus lactarium infuſo novum fiat præceptum, ne dæmon impedimentum butyri efficiendi ponere præſumat.

*3tiò.* Denique obſervandum erit, ſi lac etiam ſecundùm apparentiam optimum in butyrum nullo adhibito conatu tranſeat, efficaciſſimum remedium afferre poterit ſolertia Exorciſtæ, ſi videlicet ipſe lac unà cum lactario vaſe benedicat, illúdque rebus benedictis præmuniat, jubeatque, ut omnis labor in nomine Jeſu incipiatur, continuetur, & finiatur. Quare ut totum in compendio habeatur, ſequens benedictio & Exorciſmus deſervire poterit.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Ore-

Oremus.

Omnipotens & miſericors DEus, qui neceſſitatem humani generis prævidens, clementer adminicula temporalia contuliſti, te humiliter imploramus, ut † benedicere digneris hoc lac unà cum vaſe lactario, ut quod tua nobis miſericordia piè contulit, diabolicâ malitiâ non depereat, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

### *Exorciſmus ad deſtruendum maleficium impedimenti butyrizationis.*

N. 93. EGo N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti, tibi dæmon (vel ſi plures ſitis) vobis dæmonibus, qui nefandis maleficiis veſtris lac corrumpere, atque butyrum efficiendum impedire præſumpſiſtis, vobis (inquam) præcipio, in virtute SS. Trinitatis, & in nomine Domini noſtri JESU Chriſti, ut illicò omne maleficium tollatis & deſtruatis, atque totaliter recedatis, ita ut nullam impoſterùm poteſtatem habeatis lac quomodolibet corrumpendi, vel butyrum faciendùm impediendi; ſic enim volo, ſic jubeo ùt Miniſter Chriſti & Eccle-

Eccleſiæ, in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, Amen. Denique ſurgens aſpergat aquâ benedicta, dicens: Benedictio Dei omnipotentis ✝ Patris, & ✝ Filii, & ✝ Spiritus Sancti deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. Amen.

## *Modus tollendi maleficium frumenti averſionis.*

QUandoquidem ab experientia conſtat, dæmonem non ſolere furtivè avertere vel auferre frumentum adhuc in agris repertum, ſed cum tempore opportuno fuerit in horreum invectum, & excuſſum; ideò neceſſarium haud erit illud in agro etiamnum exiſtens benedicere vel exorcizare, ſed ſufficere, dummodo benedictio adhibeatur tempore accomodo ante actualem excuſſionem: Nihilominùs, cùm pacta diabolica ſint diverſa, & juxta diverſas maleficiorum praxes mutabilia, conſultiſſimum erit poſt præviam Domini, ad quem frumenta ſpectare dignoſcuntur, in fide & fiducia inſtructionem, eadem in agro adſtuc extantia ſancta præmunire benedictione & Exorciſmo dæmonem repellere; quod hac vel ſimili formulâ fiet. N. 94.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Ore-

Oremus.

Domine Sancte Pater omnipotens, qui ab initio feciſti hominem ad imaginem tuam, & condidiſti cœlum & terram, ſolem & lunam, ſtellas & omnia cœleſtia, & terreſtria, qui dominaris poteſtati maris, qui habes poteſtatem abyſſi magnæ; qui condidiſti omnia elementa: tu bene † dicere, & ſancti † ficare digneris hanc creaturam ſegetum (frumenti) ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto, & duos piſces, & ſatiâſti quinque millia hominum: omnésque, qui uterentur eis, bene † dicere, & ſancti † ficare dignâre, ut in eis ſit ſanitas animæ & corporis, in nomine Pa † tris & † Filii, & Spiritus † Sancti, neque diabolus ullam habeat poteſtatem ex hoc frumento, quidquam furtivè ſubducendi vel avertendi, ſed ab omnibus hominibus, pecoribúſque, qui ex his guſtaverint, omnem putredinem, & omne phantaſma diaboli, & omnem morbum ac dolorem expellere digneris, qui in Trinitate perfecta vivis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

*Exorciſmus.*

N. 95. EGO N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ, poteſtate in Ordine Exorciſtatus mihi tradita tibi dæmon, imò omnibus dæmonibus præcipio in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti, ut totaliter

ab

ab iſthoc frumento recedatis & fugiatis, neque ullam habeatis poteſtatem quidquam de frumento iſto furtivè abducendi, vel ad alium avertendi: ſic enim volo, ſic jubeo ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen.

Poſteà aſpergat aquâ benedictâ more conſueto.

Modus hic, ſicut eſt facillimus, ita legitimus, & à ſcriptura non minùs quàm ab ipſa experientia comprobatur: ſcriptura ſiquidem omnia facienda docet in nomine JEſu, prout ſæpiſſimè dictum: experientia verò luculentum præbuit teſtimonium anno 1724. dum enim ſub illud temporis curriculum in terra Ertingana præ reliquis fertili duobus in locis ſimile deprehenſum eſſet maleficium, atque Dominos ſegetum jam maturarum in tantùm affligeret, ut iisdem in agro relictis ubique remedium quærerent opportunum: quæſitus deſuper, ſuaſi, ut modô præfatô benedicantur, ſemotáque omni diffidentiâ in horreum invehantur, ac tempore accomodo excutiantur, & optimo ſucceſſu, prout cum gaudio eſt relatum.

## *Modus curandi maleficium diverſorum morborum.*

N. 99. EXorciſta apud Perſonam infirmam, quam non absque ratione fundata maleficiô affectam ſuſpicatur, ſequentia ſervet.

Primò, ſi actualiter vel in toto corpore, vel in certa ſaltem corporis parte dolorem ſentiat, Exorciſta poſt præviam in fide & fiducia inſtructionem præceptum lenitivum cum ſigno † Crucis adhibeat: quòdſi enim dolor ſit verè à maleficio proveniens, illicò evaneſcet, vel ad aliam corporis partem advertenter decurret. Quo animadverſo alterum adhibeat præceptum, ut dæmon totaliter ab omni ceſſet vexatione; infirmus verò, ſi lecto affixus decumbat, ſine timore ſurgat, & ſe pro ultimato formando præcepto præparet. Quòdſi verò nullum actualem ſentiret dolorem, Exorciſta præceptô probativô in prima parte deſcriptô maleficii ſigna eliciat, atque præceptô lenitivô mox iterùm dolorem cauſatum reprimat.

2dò Cognitô maleficiô, atque perſonâ patiente benè diſpoſitâ, ſecundùm temporis opportunitatem, ante Crucifixi imaginem genuflexi Deum pro liberatione deprecentur, ac tandem ultimatum præceptum formetur.

Gebett

# Gebett zu Chriſto JEſu von aller Zauberey erlediget zu werden.

Allmächtiger HErr und GOtt Chriſte JEſu! der du ſambt dem Vatter und Heil. Geiſt die gantze Welt mit unzahlbahren Gnaden und Gutthaten erfülleſt: Inmaſſen du deine Allmacht / Weißheit / und Gütigkeit zu erzeigen von der Schos deines himmliſcheu Vatters herunter geſtigen / die menſchliche Natur angenommen / aus Maria der Jungfrauen gebohren / unter Pontio Pilato gelitten / gecreutziget / geſtorben und begraben / auch am dritten Tag widerumb von den Todten aufferſtanden biſt / unſere Gegentheil die rebelliſche Geiſter (welche vor Hoffart aufgeblaſen ihren Erſchaffer verlaſſen) als ein Lew von der Zunfft Juda zu überwünden und ihre hoffärtige Köpff zu zerknirſchen. Der du ebenfalls uns von den Nachſtellungen des Teuffels zu befreyen deinen Jüngeren den Gewalt gegeben alle teufliſche Geſpenſter in deinem Nahmen außzutreiben / und alle Zaubereyen zu vernichten. Siehe / zu dir komme ich mit demüthigiſter Bitt / du wolleſt durch deine unendliche Barmhertzigkeit / durch die unfählbahre Wahrheit in allen deinen Verſprechungen / durch die Glory deines Allerheiligſten Nahmens / und endlich N. 97.

 lich

lich durch die Verdienſt deiner allerheiligiſten Mutter Maria und aller Heiligen mich erledigen von allem teufliſchen Gewalt / von aller Zauber- und Hexerey / und von allen ſeinen Nachſtellungen : Dann ich bin bereit hinfüro zu leben auch zu ſterben unter dem Schutz des allerheiligiſten Nahmens Jeſus / Amen.

### *Exorciſmus ad deſtruendum maleficium diverſorum morborum.*

N. 98. CONtrà te maledicte dæmon, rebellis Deo tuo & Deo meo, conſtitutus ſum ego N. Miniſter Chriſti & Eccleſiæ; ideò authoritate mihi tradita à Deo & ab Eccleſia in ordine Exorciſtatûs tibi præcipio in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti, ut illicò deſtruas omne maleficium ſive in corpore ſive extra corpus fabricatum : eadem etiam authoritate & poteſtate in virtute SS. Trinitatis, & in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti tibi præcipio, ut illicò exeas, fugias, & recedas cum omnibus tuis fæcibus & immunditiis, ſine ullo nocumento creaturæ inferendo : nec impoſterùm ullam habeas poteſtatem hanc Dei creaturam quo-

quocunque modo moleſtandi, vel maleficiîs afficiendi : ſic enim volo ſic jubeo ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

Recitatô exorciſmô poterit proba liberationis fieri modô conſuetô, ac denique perſona præmuniri modô in prima parte cap. 6. præſcriptô

Quòdſi tamen circumſtantiæ loci vel temporis viam breviorem ſuadeant, poterit Exorciſta breviter ſuper parte vexata & maleficiata formandô ſignum ſanctæ Crucis † pronuntiare præceptum dicendô : *Præcipio tibi dæmon in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut cum omnibus tuis maleficiis illicò recedas & fugias, in nomine Patris & filii & Spiritûs Sancti. Amen.*

Taliter enim facili ſæpè negotio maleficium tollet, prout frequenter vidi practicatum.

Denique idem procedendí modus ſervandus pariter videtur in tollendo maleficio ingeſtionis rerum ſolidarum in corpus humanum, ſicut enim dæmon ſimilia vî pacti cum maleficio facti inviſibiliter ingeſſit corpori humano, ita vî præcepti ab Exorciſta facti ea denuò ſive viſibiliter, ſive etiam inadvertenter tollere poteſt : ſic enim refert P. Brognolus in Alexicaco,

ad præceptum in SS. Nomine Jeſu à ſe factum ex corpore lapidem excidiſſe, ſic pariter alii Exorciſtæ præcipiunt, ut cum omnibus ſuis fæcibus & immunditiis ſine ullo nocumento creaturæ recedat.

Hoc unicum videtur monendum, ut Exorciſta ſimilibus quocunque modo ex corpore ejectis, eadem igne priùs benedicto comburat, hominémque in vera Dei confidentia corroboret, dæmonem impoſterùm non habiturum poteſtatem ſimilia corpori ingerendi.

## *Modus curandi maleficium Taciturnitatis præſertim in ſtrygibus & ſagis à Judice torturæ ſubjectis.*

N. 99. Maleficio taciturnitatis ſolent affici non ſolæ perſonæ nullum cum dæmone conſortium vel pactum habentes, ſed præcipuè ſagæ & malefici: dum enim Judici legitimo ſiſtuntur, ita diabolus ora eorundem claudit, ut nullis tormentis ad veritatem confitendam adigi poſſint.

Maleficium porrò taciturnitatis in primi generis hominibus ſuppoſita legitima diſpoſitione facilè per præceptum modô in progreſſu frequenter ſpecificatô ſolvitur. Alterum nihilominus difficillimæ videtur curationis: cùm enim perſonæ maleficæ ut plurimùm in malo ſint obſtinatæ, difficillimè fides & fiducia divina unicè ad

ad maleficium ſolvendum requiſita inſeritur & implantatur cordi eorum, quare Exorciſta fortè à Judice vocatus ſequentia ſervet.

Primò: ad pacta maleficii tollenda optimum eſt, ſi à miniſtris ad reum torquendum paratis, veſtibus, antequam ad torturam ducatur, ſervatis honeſtatis legibus exuatur, & ſubuculâ benedictâ induatur: ſæpè enim maleficii taciturnitatis ſigna in veſtibus ſunt recondita.

2dò Conſultum eſt, pilos omnes tum capitis, tum barbæ & totius corporis honeſtè abradere, videlicet ſi vir ſit, à viris, ſi fæmina à fæminis: non quidem ea intentione, ut exemplo Samſonis fortitudo in pilis latens deficiat, ſed ut maleficii ſigna, vel in pilis vel in ſecretioribus corporis partibus latentia tollantur, & deſtruantur: ordinariè ſiquidem maleficii ſtygmata quædam diabolica, vel ſyncipiti, vel alteri corporis parti præſertim ſecretæ impreſſa, & ſacratiſſimas Hoſtias cuti inſanatas habent, ita, prout ſæpè confeſſæ ſunt ſagæ & malefici apud Sprenger & Delrium, ut nulla ratione quidquam confiteri potuiſſent, niſi priùs tonſæ fuiſſent.

3tiô Eadem de cauſa prudenter totum corpus prævìè aquâ calidâ abluatur, ne fortè corpus unctione quadam ceu maleficii ſigno ſit inunctum.

4tò Attendatur ſollicitè, ne ad alvum

expurgandum ire permiſſi propria excrementa reſpiciant: hoc enim fatentibus maleficis novum taciturnitatis, imò inſenſibilitatis ſignum eſt maleficum. Dixi *ſollicitè attendendum*: quamvìs enim ſuprà in modo procedendi ordinario ſigna maleficii parùm curanda dixerim, hîc tamen in defectu veræ fidei & fiduciæ ſollicitè videntur attendenda: cùm modus tollendi maleficia ordinarius ob diſpoſitionis defectum non procedat.

5to Potiſſimum eſt remedium, ſi Judex vel Exorciſta ſpecialiter deputatus omnes aſtantes genuflectere divinúmque auxilium ad dæmones reprimendos implorare jubeat, atque firmæ fidei & confidentiæ in Deum actus eliciat, inhæſitanter credendo, Deum ad diabolicum magiæ vitium tollendum procul dubio ad præceptum contrà dæmones ab ipſo faciendum concurſurum, ne delictorum confeſſionem impediant, quo facto more conſueto ſequitur.

## *Exorciſmus ad repellendum dæmonem obſidentem & præſertim in hominibus maleficis maleficium Taciturnitatis cauſantem.*

N100 EGo N. qui à Deo & Eccleſia ejus ſponſa in ordine Exorciſtatus authorita-

ritatem & poteſtatem accepi ad dæmones effugandos ; hac authoritate & poteſtate ſuffultus & innixus, in virtute SS. Trinitatis, & in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti, præcipio tibi dæmon, ſi præſens ſis, vel vobis ſpiritus apoſtatici, quicunque vel quotcunque huic creaturæ aſſiſtitis, ut ſtatim ac ſine ulla interpoſita mora recedatis ac fugiatis ab hac creatura Dei, nunc ſub legitimi Judicis poteſtate conſtituta : nec ullam ampliùs habeatis poteſtatem eandem accedendi, nec intrinſecè nec extrinſecè illi veſtrum auxilium impendendi : nec illam ullo modo ſublevandi, nec impediendi, quin tortura ac cætera tormenta illi inflicta vel infligenda ſuum producant effectum, nempè in ea ſolitos efficiendo dolores ac torſiones : nec guttur ejus aut fauces conſtringendi, nec vocem impediendi, quin liberè ſine ullo timore, pavore, vel impedimento diabolico omnia ſua crimina clarè fateatur, non ſolùm dum ſub tormentis manet, ſed etiam poſt tormenta : neque illam inducendi ad deſperationem,

neque illi apparendi ſub quacunque forma vel figura: nec perturbandi ſenſus ejus externos vel internos; ſed nunc ſine ulla mora ab ea & ab hac domo procul fugiatis & longè recedatis: ſic volo ſic jubeo ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.

Deinde reus torquendus ſubuculâ benedictâ indutus unà cum toto loco vicino aquâ benedictâ aſpergatur, Agni DEI, ſeu ceræ papales, Reliquiæ Sanctorum; aut alia ab Eccleſia benedicta, collo ejus appendantur, ùt benè monet Delrius lib. 5. diſq. mag. Appendic. 2. q. 25. Brognolus, & alii.

N. 101 Neque ullatenus formidanda videtur pœna irregularitatis ab Exorciſta tollente taciturnitatis maleficium in hominibus maleficis incurrenda: Imprimis enim tollendo maleficium, perſonam maleficam in ſtatum duntaxat naturalem reponit, quin ullatenus ad mortem ejus concurrat: parùm enim ipſius intereſt, ſive ſublatô maleficiô crimen faſſa criminaliter plectatur, ſive nihil confeſſa ſeu innocens dimittatur, Deinde accuſans quendam criminaliter etiam cum expreſſa proteſtatione ſanguinis, longè plus concurrit ad mortem ipſam, quàm maleficium tollens, ùt in confeſſo eſt; atqui nullus etiam Religio-

ſorum pœnam irregularitatis incurrit accuſando quendam de atrociſſimis quibusdam criminibus, qualia ſunt blasphemia, apoſtaſia, hæreſis, ſimonia, magia, ſacrilegium &c. dummodo proteſtationem præfatam ſuperaddat, ut citatis juribus docet Reiff. lib. 5. Decret. Tit. 1. n. 30. Ergò minùs Exorciſta incurret, præſertim, ſi contra cauſam ſanguinis proteſtetur. Denique, nè crimen magiæ in graviſſimum reipublicæ detrimentum, nimiùm graſſetur, ad illud denuntiandum omnes ſine exceptione tenentur ſub pœna peccati mortalis, & pœna excommunicationis, uti habetur in Bulla Gregorii IX. incipiente: *Excommunicamus.* Innocentii IV. incipiente: *Noverit.* Quæ habentur in fine Directorii Inquiſitorum inter litteras Apoſtolicas pro S. Officio, & poſt alios tradit Brognolus in Alexicac. Tom. 2. Diſp. 1. à n. 108. Binsfeldius, Navarrus. Alphonſus à Caſtro, Diana, aliique communiter: plùs autem concurrit denuntians, quàm præcisè maleficium tollens: ergò ſi primum ſine pœna irregularitatis fieri poteſt, cur non & alterum?

## *Modus procedendi cum ſagis & maleficis cum dæmone pactum habentibus, ſed pœnitentibus.*

QUantumvis perſonæ maleficæ à dæ- N 102
mone nec ſint poſſeſſæ, nec ullô maleficiô

leficiô ordinariè affectæ, diabolum nihilominùs (martinellum ſuum dictum) ſibi aſſiſtentem habent, à quo ad omnium generum vitia alliciuntur, imò minis, & verberibus coguntur, & à pœnitentia agenda revocantur. Quare, ſi quæ fortè (quod rarum eſt) timore DEI perculſa, ad ſeriam pœnitentiam redeat, non à dæmonibus ſolùm, ſed ipſîs etiam maleficîs graviſſimas patitur perſecutiones; imò, niſi DEus ſpecialiter protegat, maleficîs artibûs incantatur, & dæmoni devovetur: Ut ergò prudentia Exorciſtæ, vel Confeſſarii etiam huic miſerè afflictæ perſonæ remedium ferat, ſequentia ſervet.

N 103 *Primò*, omni niſu conetur adjuvare in fide, integra, & contrita confeſſione deponenda, in qua de ſequentibus quærere, ac interrogare poterit: *1mò*, an & quoties DEum abnegaverit. *2dò*, an, & quoties dæmonem ceu DEum ſuum adoraverit, vel ſacrificium obtulerit, ſyngrapham dandô ſe ſubſcripſerit? articulum hæreticum crediderit? *3tiò*, an Beatiſſimam Virginem, Sanctos, Sacramenta, totámque Catholicam fidem abnegârit? *4tò*, an à dæmone, vel maleficis novô fuerit initiata baptiſmo, confirmatione? *5tò*, an Imagines ſacras inhonorârit, conſpuendô, verberandô, pedibus conculcandô? &c, *6tò*, an SS. Euhcariſtiam acceperit: ità inhonorârit? *7timò*, an ſe obligaverit dæmoni ſemper

per ſacrilegè confiteri, communicare, & quoties ita confeſſa fuerit, communicaverit, S. Hoſtiam ex ore exemerit, & quibus eam contumeliis affecerit? *8vò*, an præſens Sacrificio Miſſæ ſaltem intentione & affectu S. Hoſtiam, B. Virginem, aliáque inhonorârit. *9nò*, an, & de quibus dæmoni juramentum præſtiterit? *10mò*, an promiſerit, ſe ſtatutis diebus ad conventus diabolicos venturam, & quotquot poterit, poſt ſe tracturam? *11mò*, quoties ad conventus venerit, an ibi dæmonem adoraverit, ſacra, præſertim S. Hoſtiam conculcaverit? *12mò*, an nullam S. Hoſtiam corpori ſuo, præſertim partibus ſecretioiibus (prout ordinariè contingit) inſanaverit? dæmoni abſcondendam tradiderit, unguenta diabolica aſſumpſerit? *13mò*, an certa unguenta habuerit? à quo ea receperit? quæ in ipſis conficiendis adhibuerit? an infantulos è vivis ab ipſis ſublatos, vel è ſepulchris effoſſos, vel quædam ab Eccleſia benedicta? &c. 14, an non libros, inſtrumenta, & unguenta magica retineat, eáque ad comburendum confeſſario extradere velit? *15*. An & quot homines ſeduxerit, maleficiô affecerit, in amentiam egerit, occiderit? 1*6*. An non quibusdam ſanguinem, matribus lac exſuxerit, ubera venenô infecerit, & ita parvulos occiderit? *17*. An non homnibus nocuerit, tempeſtates, tonitrua, grandines imbres

cau-

cauſando, vel obtentum à dæmone pulverem, vel aliud quid ſimile ſpargendo, unde poſteà ranæ, locuſtæ, limaces, & aliæ hujus generis agrorum peſtes prodierint. *18.* An greges & armenta maleficiis affecerit, vel omninò peremerit. *19.* An alteri pauperiem fecerit, vel damnum dederit in bonis fortunæ. *20.* An non læſerit perſonas ſibi valdè conjunctas, v.g. parentes, liberos, maritum &c. Item an Clericos, Religioſos, ob quod cenſuram excommunicationis incurrerit. *21.* An cum beſtiis, dæmone, hominibus maleficis præſertim ſibi ſanguine junctis ſe commiſcuerit. *22.* An theſauros arte magica quæſierit, aut aliter divitias, honores, vel victoriam à dæmone expetierit. *23.* An quibusdam dæmoniacis uſa contra vulnera ac tormenta, & quibus? 24. An conata animas evocare? an convenerit de apparendo poſt mortem? *25.* An finxerit ſpectra? *26.* An ſpectris cultum aliquem exhibuerit? & quem, ac qualibus? an pacta cum illis fecerit? familiaria cum illis colloquia habuerit? &c. 27. An procuraverit ſpectrorum apparitiones. *28.* An Exorciſmis vetitis & diabolicis uſa ad morbos quosdam curandos. 2*9*. An habuerit dæmonem incluſum, vel includere ſit conata? an paredrium ſeu familiarem habuerit, ſub quo pacto quamdiu & ad quid? *30.* An & quibus philtris uſa, iisque quosdam ad amorem illici-

tum

tum, quoſdam ad odium allexerit. 31. An nullum abortum fructus animati vel inanimati, aut ſterilitatem procuraverit? hæ potiſſimæ videntur quæſtiones perſonis maleficis pro qualitate & diverſitate circumſtantiarum à Confeſſario faciendæ. Verùm Exorciſta ulteriùs.

2dò proponat eidem delicti enormi- N104
tatem, diaboli tyrannidem, Dei miſericordiam, ac promptitudinem ad peccata delenda, libertatem arbitrii, pacti diabolici invaliditatem & quòd ſyngrapha, peracta peccatorum confeſſione nihil ſit valitura.

3tiò Jubeat cum maxima fide & devotione, ac præcipuè profunda cum humilitate, ut Deum adoret, dæmoni abrenuntiet, Sanctos omnes, præſertim Beatiſſimam Virginem veneretur, dæmonem verò deteſtetur, ejúsque pacta & conventiones reſcindat.

4tò Proteſtari jubeat, ſe deinceps nullam cum dæmone ſocietatem, nullam conventionem habituram, ſed ſub protectione Dei & ſanctorum victuram.

5tò Cum teſtante P. Candido Brognolo in manuali p. 1. cap. 2. ar. 3. §. 10. num. 126. regulariter dæmonem inter & maleficium duo fieri chirographa ſoleant, in quibus conventiones continentur, quorum unum apud dæmonem conſervatur, alterum apud maleficum: vel, ſi non datur chirographum, utputa ſagis ignaris, & vili plebeculæ, aliud ſaltem ſignum factum vel conſignatum propria manu ipſius

ſagæ,

ſagæ, & ab ipſo dæmone aliqua nota confirmatum, ſed denuò duplex, ita, ut unum apud dæmonem, alterum apud maleficum conſervetur: hinc maleficus chirographum vel ſignum apud ſe retentum dilacerare vel comburere debet. De altero verò minimè ſit ſollicitus, utpote cùm per pœnitentiam legitimam, dæmonis abrenuntiationem, & miſericordiæ divinæ invocationem ſufficienter revocetur, ùt docet Sanch. in præcep. Decal. Lib. 2. cap. 40. n. 53. Suàrez tom. 1. de Relìg. Lib. 2. de ſuperſtit. cap. 17. n. 4. Brognolus & alii communiter. Poterit nihilominus Exorciſta in nomine JEſu præcipere dæmonibus, ut ſyngrapham reſtituant.

6tò Sequens contrà dæmonem præceptum efformet.

*Exorciſmus ad repellendum dæmonem à ſtrygibus, ac maleficis ad pœnitentiam revertentibus.*

N. 105. EGO N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ authoritate mihi tradita à Deo & ab Eccleſia in ordine Exorciſtatus præcipio tibi, dæmon, in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti, ut nunc immediatè ſine ulla mora recedas totaliter ab hac creatura Dei, quæ ſuorum pecca-

peccatorum contrita tibi abrenuncians ad DEUM confugit, & ad aſylum ſanctiſſimi Nominis JEſu ſe recepit: nec ampliùs poteſtatem habeas corpus ejus intrandi, vel eam perturbandi aut inquietandi, ſive intrinſecè vel extrinſecè moleſtandi: nec ſub quacunque forma aut figura apparendi: vel ad deſperationem eam inducendi, aut alio quovis modo infeſtandi. Recede ergò ſpiritus maledicte, quia ſic tibi præcipio ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ, in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Amen.

Poſtea Exorciſta ſtans maleficum pœnitentem ſequenti benedictione ſeu oratione deprecativa muniat.

℣. Propitius eſto Domine peccatis noſtris.
℟. Ne quando dicant gentes, ubi eſt Deus eorum.
℣. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter.
℟. Et propter gloriam nominis tui Domine libera nos.
℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens & miſericors DEus, qui omnem animam pœnitentem, & confitentem tibi, magìs vis emendari, quàm perdere: nec ullum reſpuis, ſed quantumvis peccantibus per pœnitentiam pia miſeratione placaris, reſpice ſuper hunc famulum tuum, & averte ab eo iram indignationis tuæ, & omnia ejus peccata dimitte (ſi fuerit fæmina, dicat) ſuper hanc famulam tuam &c. &c. & averte ab ea &c.

DEus qui juſtificas impium, & non vis mortem peccatoris, Majeſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, ut hunc famulum tuum (ſi fuerit fæmina, dicat: hanc famulam tuam) de tua miſericordia confidentem cœleſti protegas benignus auxilio, & aſſidua protectione conſerves, ut tibi jugiter famuletur, nullis tentationibus à Te ſeparetur, ac diabolicis infeſtationibus perturbetur.

Omnipotens & miſericors Deus, reſpice propitius ad preces noſtras, & libera mentem iſtius creaturæ ad aſylum tuæ miſericordiæ confugientis de malarum tentationibus cogitationum: ac corpus de dæmoniacarum inſultibus infeſtationum: & illumina cor ejus, ut tua valeat implere præcepta, ac Spiritûs Sancti dignum fieri habitaculum mereatur, per Dominum &c. in unitate ejusdem.

*Modus*

## *Modus maleficos pœnitentes præſervandi.*

QUandoquidem certum experientiâ teſte videatur, dæmonem tum per ſe, tum per maleficos nulli inſidiari magìs, quàm maleficis pœnitentibus; ideò, ut magìs magíſque præſerventur, à Confeſſario de ſequentibus inſtruantur.

*1mò.* Ne impoſterùm dæmonem etiam ſub diverſiſſimis formis & figuris ſibi N106
apparentem timeant, ſed eidem mox in SS. Nomine JEſu diſcedere præcipiant; ſolet enim vaferrimus hoſtis jam ſub ſpecie viri terribilis, jam ſub ſpecie leonis rugientis, aut alterius animalis, etiam ſub ſpecie amaſii allicientis comparere, minas & terrorem incutere, imò & verbera infligere; quòdſi tamen eidem in fide fortiter reſiſtatur, & per præceptum repellatur, muſcâ imbecillior apparebit.

*2dò.* Moneat, ut de enormibus ſuis peccatis frequenter doleant, atque eorundem veniam petant, Sacramenta frequententent, ac ſingulariter SS Nomen Jeſu invocent, Beatiſſimæ Virginis, Angeli tutelaris, aliorúmque Sanctorum Patronorum ſuffragia implorent.

*3tiò.* Quotidiè Deo gratias agant, quòd ex faucibus infernalis leonis ſint erepti: ſtudeántque ſæpiſſimè actus veræ fidei & fiduciæ erga Deum elicere.

*4tò.* Si quid hominibus ſive in bonis animi, corporis, fortunæ vel famæ nocuerint, pro poſſibili reſarcire ſtudeant. Tandem etiam conducent præſcripta præſervativa p. 1. cap. 6. q, 12. illic videnda & revidenda.

## *Modus procedendi cum illis, qui datô Chirographô ad certum tempus ſe dæmoni obligârunt.*

N107 EA eſt quandoque indurata hominum malitia, ut vel concupiſcentiâ carnis, vel pecuniarum allecti, aut alterius temporalis proſperitatis emolumentô permoti, animam ſuam dæmoni venalem habeant, eámque chirographô, proprio ſanguine ſubſcriptô in omnem æternitatem cruciandam devoveant. Et reverà experientiâ teſte compertum habetur, homines illos finitô temporis aſſignati curriculô à dæmone non infeſtari duntaxat, ſed quandoque etiam miſerrimè ſtrangulari, & interfici, niſi remediis ſpiritualibus proviſi ab ejus tyrannide liberentur. Quarè, cùm timore perculſi, quandoque ad DD. Parochos, aut Confeſſarios, ſpe liberationis conſequendæ confugere ſoleant, meritò quæritur, quomodo ejus farinæ hominibus conſulendum? Hinc

N108 Reſpondeo, condocere omnia & ſingula mox ſuprà pro liberandis perſonis male-

maleficis præſcripta : ſicut enim illi, ita hi à dæmone infeſtantur.

Quòd ſi nihilominùs contingeret, ejusmodi hominem tempore præſcripto jamjam fermè elapſo comparere, & auxilium opportunum quærere, ita, ut dæmon vel viſibiliter, vel ſaltem inviſibiliter jam inſidias ſtruat, atque animam æternùm cruciandam eripere velit, Parochus, vel Confeſſarius ſequentia ſervet.

*Primò.* Perſonâ breviter ſaltem in fide inſtructâ, atque coram ſe quaſi pro tribunali ſedente, genuflexâ, præceptum contra diabolum efformet, nè ullam contra præſentem creaturam, ad DEum ceu Patrem miſericordiarum, & Eccleſiæ ſinum confugientem, habere poteſtatem præſumat, dicendo v.g.

*Ego N. quà Miniſter Chriſti & Eccleſiæ, præcipio tibi dæmon, in virtute SS. Nominis JEſu, nè ullatenus huic creaturæ, quæ ad Deum ceu Patrem miſericordiarum, & Eccleſiæ ſinum recurrit, appropiare, minùs eam quomodolibet moleſtare præſumas, ſed ulterius judicium à me, ceu Miniſtro Chriſti & Eccleſiæ ſerendum expectes.* N. 109

*Secundò*, minimè opus eſt, ut ſe ſimili perſonæ Stolîs, & Cingulîs benedictîs alliget : cùm non ſua præſentia, ſed poteſtate divinitùs accepta eam protegat, defendat, atque à dæmonis infeſtatione liberet : jubeat ſolùm, ut doloroſam peccatorum confeſſionem deponat, eáque ſervet, quæ mox ſuperiùs ſunt præſcripta.

Quòd ſi tamen perſona ob modicitatem fidei ſub actuali Confeſſione, aliiſve actibus infeſtaretur, eam breviter in fide & fiducia confortare, atque contra dæmonem novum præceptum de non infeſtando, formare neceſſe eſſet.

*Tertiò.* Finita tum Confeſſione Sacramentali, tum aliis actibus præſcriptis, ſi chirographum repetere nolit, ſicut reverà repetere neceſſe non eſt, Litanias omnium Sanctorum cum ſequenti oratione recitet, ac tandem Exorciſmum contra dæmonem formet.

## Gebett zu Erlangung Göttlicher Gnad und Verzeihung jenes / der ſich dem Teuffel unterſchriben.

N110 Barmhertzigſter HErr / und GOtt / HErr Himmels / und der Erden! ſihe an diſe deine Creatur / die du aus nichts erſchaffen / und mit dem koſtbariſten Blut deines vilgeliebten Sohns erlöſet haſt: Sihe an das Geſchöpff deiner Allmacht / welches dich ſo ſchändlich verlaſſen / und mit eigner Handſchrifft deinem ärgiſten Feind / dem Teuffel ſich unterſchriben hat: Sihe an deinen ungetreuen Diener / welcher deine Güte / und Barmhertzigkeit verlaſſen / ſich dem hölliſchen Tyrannen zu dienen verpflichtet hat. O unglückſeeliger Sünder / der Himmel / und Erden beleydiget / und unwürdig iſt / ſeine Augen

gen gegen dem Himmel zu erheben. Aber Barmhertzigſter Vatter / Gütigiſter HErr / und GOtt! deſſen Erbarmnuſſen ſeyn über alle deine Werck / deſſen Barmhertzigkeit kein Ziel / noch Maß; zu dir kommet abermahl diſe deine unwürdigiſte Creatur mit gantz zerknirſchtem Hertzen / mit völligem Vertrauen bittend / und ſeuffzend umb Gnad / und Nachlaſſung ihrer Sünden. Wir wiſſen O HErr! daß du ein zerknirſchtes / und demüthiges Hertz nit verachteſt / daß auch die gegebene Handſchrifft deiner Barmhertzigkeit keine Hindernuß mache. Dannenhero kommen wir alle durch das roſenfarbe vergoſſene Blut deines geliebtiſten Sohns bittende / du wolleſt dich diſer armſeeligen Creatur erbarmen / ſie zu Gnaden abermahl aufnemmen / die gegebene Handſchrifft zernichten / damit der Hölliſche Tyrann hinführo kein Recht mehr fürwenden möge. Amen.

Qua oratione devotè recitata, Exorciſta vel Confeſſarius Exorciſmum ſequentem modô priùs præſcriptô efformet,

*Exorciſmus contra dæmonem infeſtantem eum, qui Chirographi cautione animam ſuam eidem ſubſcripſit.*

COntra te maledicte dæmon, qu N111 hominem præſentem pretioſiſſimo

Sanguine Domini noſtri JEſu Chriſti redemptum, in tantùm decepiſti, ut animam ſuam propriô chirographô tibi venalem traderet, conſtitutus ſum Ego N. ceu Miniſter Chriſti, & Eccleſiæ; ideóque, quia hæc DEI creatura plena fide & fiducia rurſus ad DEum Creatorem, & Redemptorem ſuum revertitur, Eundémque vera cordis contritione ſibi propitium fieri ſupplicat, quem tam graviter offendit, tibi, imò omnibus dæmonibus, in virtute SS. Nominis JEſu præcipio, ut totaliter ab ea recedatis, & fugiatis, neque impoſterùm ullam ampliùs poteſtatem habeatis, eam, non obſtante Chirographi cautione recepta, quam ex corde deteſtando revocat, quomodolibet infeſtandi, vel moleſtandi: Fugite ergò partes adverſæ, ſic enim vobis impero ceu Miniſter Chriſti, & Eccleſiæ: In Nomine ✝ Patris, & ✝ Filii, & Spiritus ✝ Sancti. Amen.

N.112 *Quartò.* Si Confeſſarius chirographum repetere velit, ſicut reverà poteſt, perſonam ſecundùm dicta parte prima Armamentarii pluribus in locis, inſtruat, ſibi ceu

ceu Miniſtro Chriſti, & Eccleſiæ omnem datam eſſe poteſtatem ſpirituum immundorum ſecundùm illud Matth. 10. & Marc. 3. *Dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum.* Conſequenter, cùm reſtitutio chirographi, licèt non neceſſaria, ſaltem utilis eſſe credatur, diabolum etiam propria renitente voluntate, virtute divina cogendum, ad illud reſtituendum. Quare omnes præſentes pro facienda chirographi reſtitutione, Deum ſupplicibus priùs interpellent precibus, atque mox antè præſcriptam Orationem poſt Litanias recitent, & in fine ejusdem ſpecialiter ſupplicabundi ſuperaddant, ut DEus ſua virtute dæmonem ad chirographum reſtituendum cogat; Confeſſarius verò ceu Judex à DEO conſtitutus, ſequentem Exorciſmum contra dæmonem efformet.

## *Exorciſmus ad compellendum dæmonem ad Chirographum illi datum reſtituendum.*

EXorcizo te impie ſatan, qui tuo N.113
cum deſiderii principatu ſemper affectas tyrannicum in homines imperium. Exorcizo te per JEſum Chriſtum, qui venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, ut ab hac creatura, quæ tuis fraudibus decepta ſe ti-

bi tradidit, omne tuum imperium feſtinus amoveas: Ex hoc enim momento rurſus te deſerens, divinæ Miſericordiæ ſe committit, ut Ei ſerviat, cui ſe totam debet, quíque ſervientibus ſibi æternæ vitæ mercedem promiſit. Exorcizo te per pretioſiſſimum ſanguinem Chriſti JEſu, quo deletum eſt chirographum decreti, quod erat nobis contrarium; tibíque ceu Miniſter Chriſti, & Eccleſiæ in Virtute SS. Nominis JEſu præcipio, ut chirographum, quo hæc creatura ſe tibi obligavit, illicò reſtituas, nec penès te diutiùs ſerves, ut omnibus conſtet, DEO peccatorem in gratiam recipiente, nullum tibi reſtare imperium: redde ergò, & reſtitue, ſic enim volo, ſic jubeo in Nomine † Patris, & † Filii, & Spiritus † Sancti. Amen.

*Ultimò* tandem Chirographum receptum in deſpectum diaboli comburat, vel, ſi in rei memoriam reſervare velit, illud ſpecialiter benedicat: ac tandem remedia præſervativa mox ſuperiùs pro maleficis pœnitentibus præſcripta, obſervanda proponat.

*Mo-*

## *Modus animalia bruta à maleficiis liberandi.*

DÆmones ( ait Doctiſſimus Abulenſ. quæſt. 126. in cap. 8. Matth.) *Tanto ardore hominibus nocere deſiderant, quòdſi non poſſunt nocere eis in ſe ipſis, ſaltem volunt nocere in quibuscunque rebus eorum* : Præſertim verò ex inveteratô adversùs hominem odiô animalia bruta ſub dominio hominum conſtituta aggrediuntur, eáque triplici modo moleſtant: *1mò*, corpora eorum ingrediendô, & poſſidendô, atque in iis aliquid bonum, vel malum ſupra beſtiarum naturam operando : qualiter Chriſto permittente integra legio porcos invaſit. N114

*2dò*, extrinſecè eorum operationibus reſiſtendo : v. g. equis in via reſiſtendo, ne progrediantur, canes à latrando impediendo.

*3tiò*. Damnum eorum corporibus inferendo; ita, ut vel infirmentur, mutilentur, aut omninò moriantur. Quare ſignum maleficium animalium brutorum à vero naturali morbo dignoſcendi, eſt, cùm aliquid præter naturæ curſum operantur, quorum operatio ad præceptum Exorciſtæ, vel applicationem rerum benedictarum deſiſtit. Ut ergo etiam hæc tollantur, ſequentia ſerventur.

Primò. More conſueto Pater Familias, aut illi ſub quorum dominio vel cura con-

ſtituta

ſtituta ſunt animalia, in fide & fiducia inſtruantur, & de dæmonis vilitate & impotentia hominibus verâ fiduciâ præditis nocendi moneantur. Secundò. Cùm DEus ordinariè ſimiles permittat hominibus tribulationes ob peccata eorum, optimum erit illa vera cordis contritione & confeſſione ſacramentali deponere: deleto quippe reatu culpæ facilè ceſſabit reatus pœnæ. Tertiò Exorciſta moneat, ut omnes præſentes ante Crucifixi imaginem genuflexi devotè, ac plena fide & fiducia liberationem petant: ipſe verò ſequentem recitet orationem, ac poſtea Exorciſmum ſubjungat.

℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Domine Exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ab origine mundi creans hominem ad imaginem & ſimilitudinem tuam ad ipſius uſum & levamen feciſti etiam animam viventem ſuper terram in genere ſuo; jumenta, equos, boves, & boves, cæteráque animalia & beſtias terræ juxta ſpecies ſuas: Te humiliter deprecamur, ut hoc animal (vel animalia) liberare digneris, à quocunque

cunque maleficio, ligatura, ſignatura, infeſtatione dæmonum, ac miniſtrorum ejus, ac qualibet lue, peſte ac morbo contagioſo, ut tradita ei (vel eis) ſanitate deſervire poſſit (vel poſſint) ad uſum Domini ſui, qui in Eccleſia tua gratiarum tibi referat actiones. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

## *Exorciſmus ad dæmones ab animalibus expellendos.*

EGo N. ùt Miniſter Chriſti & Eccle- N115
ſiæ, contra vos, Spiritus maligni, qui veſtris maleficiis has beſtias & ad uſum iſtius hominis animalia ſpectantia infeſtatis, venio: & in nomine JEſu præcipio vobis, ut ſtatim exeatis ab hiſce animalibus ſub dominio, vel cura iſtius hominis conſtitutis, & à quibuscúnque rebus ad illum pertinentibus ac totaliter recedatis à loco iſto, ac deſtruatis omne, quod perfeciſtis maleficium: nec ampliùs poteſtatem habeatis nocendi eis, ac vexandi ea ſive intrinſecè ſive extrinſecè: nec apparendi eis ſub quacunque forma, vel figura: nec impediendi eorum operationes naturales, ita ut liberè & ſine ulla moleſtia, vel

retar-

retardatione eorum dominus vel cuſtos eis uti poſſit, quandocunque opus fuerit. Fugite ergo ac recedite Spiritus maledicti: quia ſic præcipio vobis, ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Poſtea Exorciſta animalia aquâ benedictâ aſpergat, ac benedicat præſepia, ovilia, aquam, ſal, & alia hujusmodi benedictionibus infrà apponendis in appendice. Ulteriùs moneat dominum, aut cuſtodem eorum, ut liberè utatur eisdem, atque ſine ullo timore cum eisdem diſponat: præmuniat pariter ſtabulum, præſepe, & alia, rebûs benedictîs, & ſchedulîs, in quibus præceptum ſit ſcriptum, ne dæmon impoſterum lædere valeat; imò ipſimet Patresfamilias vel cuſtodes pecorum quandoque præceptum forment, ne dæmon eorum pecoribus nocere præſumat.

Optimum tamen eſt DEI auxilium ſeriîs precibûs implorare, Deúmque vera fide & fiducia implorare, ut opera diaboli deſtruat, ejúsque potentiæ reſiſtat: etenim ſi DEus pro nobis, nec diabolus, nec ejus organa quidquam nocere poſſunt.

Denique benè conſideret Exorciſta, à dæmone necdum varios morbos, ſed & peſtem ipſam cauſari, prout Authores paſ-

ſim

ſim pluribus confirmant hiſtoriis : quare prudenter conſideratis circumſtantiîs optîmè faciet, ſi in peſte animalium non ſimplici duntaxat benedictione ſed etiam Exorciſmô ſaltem conditionatô utatur.

## *Modus deſtruendi maleficia pluviarum, grandinum à dæmone excitatarum.*

DÆmones DEO permittente ſive per ſe N 116
ſive per magos poſſe excitare pluvias, grandines, fulgura, tonitrua, aliáque ſimilia meteorologica conſtans eſt Auctorum ſententia, atque manifeſtè ex Scriptura colligitur Pſal. 77. â v. 49. Ubi grandines & cæteræ plagæ Ægyptiacæ dicuntur *immiſſiones per angelos malos.* Item Job. 1. dæmonem cauſato vento vehementi oppreſſiſſe filios Job. D. Paulus pariter vocat dæmones *aëreas poteſtates & principes aëris hujus*, quòd magnam habeant poteſtatem in aëra. Conſtat pariter luculentis exemplis tum antiquis, tum recentioribus, prout ea videre licet apud Remigium lib. 1. de Morali. cap. 25. Schottum in Phyſica curioſa lib. 1. cap. 34. & alios paſſim.

Solent autem dæmones ordinariè à maleficis allecti ſimilia graviſſima cauſare mala : malefici verò ad dæmones alliciendum ſolent in aquam immittere ollam fictilem, cui aliquod arcanum dæmon incluſerit; vel etiam

etiam lapides tantæ magnitudinis, quantam vellent grandinem decidere: interdum candelas inverſas ſuper ſtagnum tenere, donec guttæ defluant: aliàs pulverem medicatum in aquas ſpargere : ut plurimùm verò accepta à dæmone virgâ nigrâ aquam diverberare, donec vapores, fumóſque emittent, quibuscum unà ſublimes efferuntur. Alii ſilices poſt tergum occidentem verſus projiciunt: ſæpè ſcopam in aqua intingunt, cœlúmque verſus ſpargunt: alii aliîs ritibus utuntur, & ſæpè integras regiones devaſtant: quare, ut ſimilibus etiam malis obvietur, Exorciſta fide maxima ſequentes ex Rituali Friſingenſi faciat adjurationes.

## *Exorciſmus contra imminentem tempeſtatem fulgurum, grandinis &c.*

N 117 PEr Signum † Crucis de inimicis † libera nos † DEus noſter, in Nomine Patris † & Filii & Spiritûs Sancti, Amen.

Dicitur ſymbolum fidei, ſcilicet Credo in DEUm &c. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater Noſter. ℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Sit Nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum. ℣. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus. ℟. Et fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus. ℣. Exurge

ge Chriſte, adjuva nos, ℟. & libera nos propter nomen tuum. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. & cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Domine JEſu Chriſte, qui feciſti cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt, quíque flumini Jordani benedixiſti, atque in eo baptizari voluiſti, & tuas ſanctiſſimas manus & brachia ſacratiſſima in Cruce † extendiſti, quibus aërem ſanctificâſti, obſecramus immenſam Pietatis & Bonitatis tuæ abundantiam, quatenus has nubes, quas ante me, & poſt me, & ſupra me, à dextris & à ſiniſtris video aërem perturbare, diſſolvere, & annihilare digneris, ut alligata poteſtas dæmonum impiè deſævientium deficiat, & turbetur ad laudem tui SS. Nominis, & Potentiſſimæ Majeſtatis tuæ, qui vivis & regnas &c.

*Poſtea converſus ad nubes, ſignat eas ſignô crucis dicens*: circumdet te nubes DEus Pater, † circumdet te DEus Filius, † circumdet te DEus Spiritus Sanctus. † Deſtruat te DEus Pater, † deſtruat te DEus Filius, † deſtruat te Spiritus † Sanctus. Comprimat te DEus Pater † comprimat te DEus Filius † comprimat te Spiritus † Sanctus. ℟. Amen.

*Obſecratio*, Sanctus Matthæus. S. Marcus. S. Lusas. S. Joánnes Evangeliſta, qui

Chriſti Evangelium per quatuor mundi partes divulgârunt, ipſi ſuis meritis & precibus hanc tempeſtatem à termino iſto, & ab omnibus Chriſtianorum finibus ab eodem Domino noſtro JEſu Chriſto removeri obtineant, & depelli.

*Exorciſmus.*

ET ego peccator, & Chriſti Sacerdos, ſeu Miniſter, licèt indignus, Auctoritate & virtute Ejusdem DEI & Domini Noſtri JEſu Chriſti, Summi Imperatoris, non mea potentia innixus & confiſus, vobis præcipio, immundiſſimi ſpiritus, qui has nubes, ſeu nebulas concitatis, in virtute Ejusdem DEI & Domini noſtri JEſu Chriſti, † Per SS. Ejusdem Incarnationem: per ſanctam Nativitatem: per Baptiſmum & Jejunium ipſius, per Crucis ſacratiſſimam Crucem † & Paſſionem: per ſanctam Reſurrectionem, per admirabilem Aſcenſionem: per tremendum adventum Ejus ad judicium: per merita intemeratæ ſempérque Virginis Mariæ, & SSmi N. ac per merita Omnium Sanctorum, ut exeatis, quatenus nocere non poſſint hominibus, animalibus, fructibus, herbis, arboribus, aut quibuscunque rebus humanis uſibus deputatis. Per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

Ipſe

Ipſe vobis imperat, dæmones, qui has nubes commovetis, de quo de nube lucidâ dictum eſt: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: † Ipſe vobis imperat, qui ſua ſacratiſſima Cruce Corporis ſui ſanctiſſimi in ea extenſione, aërem purgavit; † Ipſe vobis imperat, qui per mortem ſuam vos, principem veſtrum, mortémque devicit, & ligavit, atque æternæ gehennæ mancipavit ignibus: † Ipſe vobis imperat, qui infernô ſpoliatô ſurrexit à mortuis: † Ipſe vobis imperat, qui poſt 40. dies nube ſuſceptus virtute ſua aſcendit in cœlum: † Ipſe vobis imperat, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

*Poſtea oſtendat Crucem in aëra dicens*: Ecce ſignum SS. Crucis, fugite partes adverſæ; vicit enim vos, & mundum Dominus noſter JEſus Chriſtus Filius DEI, Imperator ſummus, Leo de tribu Juda, Radix David,

*Poſtea aqua benedicta in modum Crucis aſpergat pér quatuor latera.*

*Dicenda etiam ſunt Lytaniæ, ſi nondum quievit tempeſtas. Symbolum Athanaſii. Quicunque vult &c. Antiph. Salve Regina. Et ſub tuum præſidium. Cant. Benedicite omnia. cum ℣. Gloria Patri. in quolibet ℣ Dicti Cantici. Deinde* ℣. Benedicamus Patrem & Filium cum S. Spiritu. ℟. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula. ℣. Ora pro nobis S. DEI

Genetrix. ℟. Ut digni efficiamur &c. ℣. Exurge Chriſte, adjuva nos. ℟. Et libera nos propter Nomen tuum. ℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor meus &c. ℣. Dominus vobiscum &c.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne DEUS, qui dediſti famulis tuis in Confeſſione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia Majeſtatis adorare unitatem, quæſumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur adverſis.

Protege Domine famulos tuos ſubſidiis pacis: & Beatæ Mariæ ſemper Virginis patrociniô confidentes, à cunctis hoſtibus & periculis redde ſecuros.

A domo tua quæſumus, Domine, ſpiritales nequitiæ repellantur, & aërearum diſcedat malignitas tempeſtatum.

Ad te nos, Domine, clamantes exaudi, & aëris ſerenitatem nobis tribue ſupplicantibus, ut qui juſtè pro peccatis noſtris affligimur, miſericordia tua præveniente clementiam ſentiamus.

Largiri, & fructus terræ conſervare dignare, Domine DEus noſter, ut temporalibus gaudeamus auxiliis, & proficiamus ſpiritualibus incrementis. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

N. 118 Cæterùm, licèt in Rituali Friſingenſi omnia ab his, aut ſuprà ſcriptis precibus, & ad-

& adjurationibus aliena, absque Sedis Apoſtolicæ, vel licentia Ordinarii, contra tempeſtates adhiberi, graviſſimè prohibeatur; nihilominùs, quia ſimplex præceptum in SS. Nomine Jeſu factum, tum à S. Scriptura, tum ab Eccleſia univerſali eſt approbatum, & in præfatis adjurationibus jam contentum, ingruente graviori tempeſtate, ubi fortè prædicta omnia, & ſingula ſervari nequeunt, optimè Exorciſta faciet, ſi contra tempeſtatem à dæmone fortè excitatam vera fide & fiducia breviter præceptum formet, dicendo:

EGo N. quà Miniſter Chriſti, & Eccleſiæ, poteſtate, à Deo, & ab Eccleſia receptâ, in virtute SS. Trinitatis, & in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti impero tibi dæmon, imò omnibus vobis dæmonibus, qui fortè hanc tempeſtatem excitatis, ut illicò unà cum omnibus maleficis ab aëre fugiatis & recedatis, neque ullam habeatis poteſtatem has nubes commovendi, vel grandines excitandi: fugite ergò partes adverſæ, dæmones infernales; ſic enim vobis impero in nomine Patris ✝ & Filii ✝ & Spiritûs ✝ Sancti. Amen.

## *Quæſtio ſexta.*

### *Quomodo maleficia ſingula ſint per res ab Eccleſia benedictas deſtruenda, & curanda?*

N.119 ADvert. Benedicere in rei veritate idem ſignificare, ac ſanctificare, ſeu conſecrare: ſic Gen. 2. *Benedixit DEUS diei Sabbathi*, & Luc. 9. Chriſtus *Acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus reſpexit in cœlum, & benedixit illis.* Quamvìs enim omnis creatura DEI, quatenus à DEo eſt, bona ſit: tamen, ut idem Apoſtolus teſtatur, etiam per verbum Dei, & orationem ſanctificatur. Porrò munus Benedictionis impertiendæ peculiariter ad viros Eccleſiaſticos, ſive DEO conſecratos pertinet: etſi non ſemel etiam homines Laici rebus á ſe benedictis, permulta perfecerint admirabilia. *Solet namque*, ût Divus teſtatur Ambroſ. in Epiſt. ad Gal. cap. 4. *Proſperè procedere, quidquid ſimpliciter in DEI devotione fit.* Quinimò, Sacerdotes, etiamſi mali ſint, pro officio nihilominùs dignitatis ſuæ gratiam transfundunt, ut teſtatur divus Auguſt. lib. quæſtionum novi & veteris teſtamenti: quod enim Aaroni Num. cap. 6. dicitur: *Vos ponite nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis.* Hoc omnibus Sacerdotibus, ut bene declaratur in

in decreto Gratiani cap. 1. q. 1. can. dictum eſt

Nec tamen effectus admirabiles rebus ipſis ab Eccleſia benedictis, ùt falsò calumniantur hæretici, ſed acceptos Deo referimus, qui pia fidelium vota non rejiciens, per haſce res, ùt per moralia inſtrumenta, etiam miracula operari dignatur, ùt plurimis adductis teſtantur exemplis Metaphraſtes, Surius, Delrio, & alii.

Quòd ſi non ſemper benedictiones ſperati ſequuntur effectus, plures hujus rei cauſæ aſſignari poſſunt: prima, quia non eadem ratio eſt benedictionum, quæ Sacramentorum: hæc enim ex inſtitutione Divina certa & efficacia ſunt ſigna gratiæ: àt benedictiones nulla promiſſione divina firmatæ ſunt, niſi eâ, quæ orationi eſt adjuncta: petite & accipietis. Altera eſt, quòd non omnibus gratia ſanitatum ſit communis; *Alii*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 11. *datur gratia ſanitatum, alii operatio virtutum &c.* præcipuæ tamen cauſæ videntur peccata hominum, modicitas fidei, & confidentiæ in DEum, aut certè, quia DEus per afflictiones à peccatis abſtrahere, patientis meritum adaugere, & ſpectantibus virtutum ſpecimen præbere intendit. Ut autem ad rem veniamus

Dico: Generaliter loquendo res de conſuetudine Eccleſiæ ſuis temporibus benedici ſolitæ maximæ ſunt efficaciæ, uti ſunt ſal N.120

ſal, aqua, herbæ, thus, aurum & Myrrha in feſto trium Regum benedicta, frondes palmarum, oleum olivarum, cerei ſacri, cera paſchalis, ſeu grana ſabbathi ſancti, Agni DEI &c. Ratio eſt, quia non ob alium finem iſta benedicuntur, niſi ut illis tollatur omnis poteſtas adverſarii, prout tum ex formulis benedictionum, tum ex SS. PP. luculentis exemplis patet. Sic enim oleo benedicto uſus legitur Hilarion apud S. Hyeron. D. Martinus apud Severum Sulpitium in ipſorum vitis: Monachi Ægyptii apud Ruffinum lib. 2. cap. 4. Pane benedicto pariter uſum S. Hilarionem teſtatur D. Hieronymus in ejus vita, S. Marcellum Metaphraſtes menſe Decembri, & alii plurimi, prout omnis generis exempla reſtant videnda apud Auctores paſſim hanc materiam pertractantes. Specialiter verò præter hæc generalia & communia paſſim alia uſurpantur, & ſæpè cum fructu applicantur, prout aliqua exhibemus.

Contra maleficia præſertim contractionis nervorum, claudicationis, aliorumque dolorum in juncturis manuum vel pedum adhibent lavacrum benedictum, ita ut aqua benedicatur benedictione communi contra maleficia, benedictione S. Ignatii Confeſſoris, cui pariter infunditur aqua SS. Trium Regum, & aqua diebus dominicis benedici ſolita cum ſale pariter benedicto: Hoc balneum non ſemel expertus ſum efficа-

ficaciſſimum etiam contra inveterata maleficia.

Alii aquæ ſimplici benedictæ pro balneo conficiendo ſequentes commiſcent herbas

*Pro forma Balnei.* N.121

| | |
|---|---|
| Spicæ Nardi. pug. med, | |
| Origumi. Majoranæ. Calaminthi montanæ. Thymi vulgaris. Sticados. Junci odorati. | ana. pug. med. |
| Calami aromatici. Ditami cretici. Hyſopi montani | ana. pug. med. |
| Roſarum rubrarum. | manipul. 1. |
| Florum ſquinnati. | pug. 1. |
| Rutæ. Hypericonis. Salviæ. | ana. pug. med. |

Quæ omnia in aqua benedicta bulliant ad conſummationem tertiæ partis : dein Balneum benedicatur. & abluat ſe maleficiatus ſemel in die.

*Contra maleficia diverſa quidam ſequentia adhibent.*

Recipe pro maſſa nigra, tum pro ſuffumigio, tum etiam apud ſe portanda N.122

Camphor :
Sem. nigell.

Aſæ fœtidæ.
Myrrh. rubr.
Oliban ana. q. placet.

Contund. in Mortario æneo l. a. in maſſam nigram.

*Recipe pro forma olei, ſeu unguenti.*

N. 123 Rutæ caprariæ.
Rutæ domeſticæ.
Herbæ parid.
Hypericonis.
Salviæ,
Majoranæ.
Abſynthii.
Foliorum perſici.
Sabinæ. } ana. pug. 1.
Abrotani.
Formiculariæ.
Anethi.
Meu.
Athemiſiæ.
Appii.
Celidoniæ.
Juniperi.
Foliorum papaveris.
Sinapis.
Bacarrum lauri. unc. 1.
Nucum cupreſſi. num. 12.
Radicum eſculæ.
Mori. } ana. unc. 1.

Car-

Cardamoni.
Ditami. ) ana. man. 1.

Thuris,
Sandrachæ.
Mirrhæ. } ana. unc. 1.

Sandalorum alborum.
Citrinorum. ) ana. unc, ſemis.

Incidantur incidenda, & contundantur contundenda, & bulliant in libr. 10. olei antiqui, & tunc accipe

Caryofilorum.
Cinamomi.
Nucis muſcatæ. } ana. unc. 1,

Hæc priùs contuſa ligentur in tela linea, ac in ipſo reponantur oleo, ſeu unguento, ut ſic omnia bulliant usque ad conſummationem humiditatis: poſtea exprimantur & addantur drach. tres olei odoriferi de ſpica, & cum frigidum fuerit, adde grana 14. muſci electi, quæ in vaſe vitreo collocata ponantur in fimo in putrefactionem per dies circiter quadraginta, dein benedicantur benedictione propria infrà in appendice videnda, ſicque ex dicto oleo quotidie Sacerdos ungat pulſus capitis, manuum, ac pedum, nec non oculos, aures, nares, ac partes cruciatas maleficiati, ſi honeſtè fieri poterit.

*For-*

*Forma fumigationis.*

N.124 Recip. Storacis calam. drac. 1. cum dimidia.
Belgivaini drac. 1.
Nucis muſc. ) ana. drac. 1. cum
Cariophilorum. ) dimid.
Ligni aloes ſcrup. 1.
Ambræ Griſæ gran. 1.
Laudani ping. drac. 2.
Muſci electi. gran. 2.

Pulverizentur Pulverizanda, & cum modico draganti infuſi, & moliti in aqua roſarum, fiat maſſa, & formetur ad formam trociſi, & benedicantur, atque ſæpius maleficiatus ipſe, veſtimenta, aliáque ad ipſum pertinentia fumigentur.

N.125 Plurima his ſimilia videantur apud Candidum Brognolum in Alexicac. Diſp. 2. curatione naturali à N. 332. Verùm antequam ulteriùs progrediar, ſeriò moneo, rogóque Exorciſtas, ne ſuæ ſcientiæ, vel etiam experientiæ nimiùm fidant, paſſim in authoribus inventas medicinas uſurpando, & maleficiatis porrigendo; hoc quippe Medicorum eſt dignoſcentium herbarum qualitates, non Exorciſtarum: & quod fortè uni proficit, alteri plurimùm nocet: quare fateor, me nunquam auſum ullam medicinam porrigere maleficiatis, ſed ſimplicibus benedictionibus fuiſſe contentum; quòdſi enim præter opinionem mors miſeri maleficiati ſequatur, prout non

non ſemel ſecutam teſtatur Alexander Albertinus in ſuo malleo dæmonum, Exorciſta in foveam cadit lethalis culpæ: licèt enim mortem minimè intendat, voluntariè nihilominùs ſe exponit periculo, ita ut mors ipſi ſaltem indirectè ſit libera & voluntaria: Simili ratione non licet Exorciſtis paſſim adhibere balnea, diverſa unguenta, & olea ad ſimplicem etiam unctionem ex diverſis herbis præparata, neque maſſas ex diverſis herbis, oleis, lapidibus &c. confectas: cum enim balnea in certis duntaxat infirmitatibus ſint proficua, in aliis plurimùm nociva, ſine prudentis Medici conſilio Exorciſtis prohibita videntur, niſi clarè conſtaret, infirmum nulla alia laborare infirmitate, præterquam ex maleficio proveniente. Unguenta pariter, olea, & maſſæ diverſæ, eo ipſo, quòd ex diverſis herbis & lapidibus, quarum virtus naturalis Exorciſtis eſt incognita, ſæpiſſimè ſunt nociva. Vide dicta ſuperius Parte 1, cap. 4. q. 7. à n. 125.

# CAPUT Quintum.
## De Spectris.

### *Quæſtio prima.*

### *An dentur, & quid ſint ſpectra ?*

N.126 ADvert. Spectrorum nomine non aliud impræſentiarum intelligitur, quàm ſimulacra quædam extraordinaria, variis locis, formis, modis, & temporibus vigilantium, ſanæque mentis hominum potentiis ſeſe offerentia; atque à Latinis dicuntur ſpiritus, lemures, umbræ, lares, penates &c. à germanis verò Geſpenſter / Geiſter / Geſichter ꝛc. Dixi notanter: *Vigilantium, ſanæque mentis hominum*: non enim de phantaſmatibus furioſorum, phreneticorum, febricitantium, melancholicorum, veſano amore æſtuantium, & meticuloſorum agendum putamus. Dixi *2dò* ſimpliciter: *potentiis ſeſe offerentia*, non enim ſoli conſpectui, ſed omnibus quinque potentiis exterioribus ſpectra objici in comperto eſt. H. N.

N.127 Dico 1. Dari ſpectra, eáque tum hominibus, tum pecoribus eſſe plurimùm perſæpè moleſta, & authoritas ſuadet, & experientia frequentiſſima comprobat. *Utra-*

*Utraque pars* fuſiſſimè probatur ab Authoribus paſſim, nec vacat in re adeò clara, & omnibus nota, detineri. Videantur P. Delrio diſq. mag. lib. 2. q. 27. Caſparus Schottus in Phyſica curioſa lib. 2. cap. 2. Brognolus in Alexicacon. Petrus Tyræus, fuſiſſimè hanc pertractantes materiam.

Dico 2. Spectra ſe hominum poten- N. 128 tiis præſentantia ſunt diverſorum generum; alia ſiquidem ſunt purè phantaſtica, alia artificialia, alia naturalia, alia dæmoniaca, alia magica, ſeu hominum maleficorum, alia animarum damnatarum, alia animarum purgantium. Ita communis & certa, & patet inductione.

*Primò* ſiquidem aliqua videntur eſſe ſpectra, quæ talia non ſunt, ſed purè ex corruptione phantaſmatum talia eſſe videntur, qualia ſæpè patiuntur phrenetici, furioſi, aliíque mox relati, de quibus nullus nobis erit ſermo.

*Secundò*, ſpectra *artificialia* ſunt, quæ per artem conficiuntur ad inſtar verorum ſpectrorum: poſſunt enim per artem confici homines, & dracones ignei, aliæque diverſi generis beſtiæ, quæ hominibus ceu veriſſima ſæpè videntur ſpectra: verùm neque hæc ad propoſitum conducunt.

*Tertiò* ſpectra *naturalia* ea dicuntur, quæ licèt ſint effectus naturæ, naturalium tamen cauſarum ignaris ſpectra videntur, dæmonúmque ludibria: & talia ſunt plurima,

tima, quorum præcipuum locum obtinet ignis ille, quem Meteorologici fatuum appellant: Fit autem, dum exhalationes pingues & viſcoſæ ab aëre frigido & nimis condenſato, & ab aliis ſuccedentibus vehementiùs agitatæ, calefiunt, & tandem omninò inflammantur. Mira certè vis ſimilium ignium: apparent enim inter equorum iter agentium aures, jam totos circumdant, ac quodammodo quaſi inflammant; Jam homini iter facienti, atque vinô, irâ, aliâque cauſâ effervеſcenti, aſſident: jam in cæmeteriis juxta ſepulchra, buſtuaria, patibula videntur: jam etiam homines in campis aberrantes ſeducunt, ut in loca paludoſa, aut ſtagna ſeſe præcipitent. Certum nihilominùs videtur, dæmones ſæpè ſe ſimilibus conjungere fatuis ignibus, ut ſic homines decipiant, aquis ſuffocent, vel alio modo miſerè perimant.

Plura alia ſimilia ſpectra naturalia paſſim enarrantur & explicantur ab Authoribus: verùm quia nec hæc ad propoſitum noſtrum quidquam faciunt, ea ſtudiosè præterimus.

N. 129 Nihilominus prætermittendum non videtur, ſæpè dari ſpectra purè humana, miros tumultus & ſtrepitus cauſantia, voces & ſuſpiria emittentia, ſæpè ſub diverſis formis apparentia, quæ in rei veritate aliud non ſunt, quàm homines peſſimi & malitioſi, hoc utentes remedio, ut ſuam libi-

libidinem, aliámve valeant explere malitiam: ſed hæc meliùs non arcentur, quàm fuſte vel baculô paratô, & ſenſibiliter applicatô, prout frequens teſtatur experientia.

*Quartò* ſpectra *dæmoniaca*, eáque frequentiſſima ſunt ipſi dæmones ſub formis diverſiſſimis apparentes: licèt enim certum ſit, eosdem è cœlo pulſos in infernum fuiſſe præcipitatos: nihilominus certum pariter eſt, non omnes eſſe mundi centro ita addictos, quin univerſas mundi partes peragrare poſſint, ut communis eſt ſenſus omnium. N. 130

Quare, cùm nullus ſit locus, qui eorum malitiâ non ſit infectus, etiam ſecundùm doctrinam Trithemii lib. quæſtionum ad Maximilianum Cæſarem q. 5. à diverſis locis diverſa ſortiuntur nomina: ſic enim alii dicuntur *ignei* vel *ætherei*, quia circa ſuperiorem aëris regionem verſantur. Alii dicuntur *aërei*, eò quòd in aëre nobis propinquo commorantur, atque DEO ſic permittente ſuam exercent virtutem, tonitrua, fulgura, & tempeſtates excitando in perniciem hominum. Alii dicuntur *aquatici*, ſeu in mari, & fluminibus commorantes, atque tempeſtates excitantes, navigia in profundum demergentes. Alii dicuntur *terreſtres*, qui varias terræ partes occupant: nam alii in ſylvis verſantur, in nemoribus, & quandoque in veſte candida

in forma puellarum, aut Matronarum ſe oſtentant, nunc venatoribus inſidiantur, imò & ipſimet clamores ad inſtar venatorum excitant: nunc paſtoribus gregum ſe repræſentant, ſua ſervitia eis deferunt, ut ita ſimpliciores decipiant. Alii in campis latitant, alii in deſertis, & locis ſolitudinariis: alii in montibus, ſpeluncis, & cavernis. Alii dicuntur *domeſtici*, ſeu *familiares*, qui in occultis locis habitant, & ab antiquis *lares*, vel *penates* dicti ſunt: hi crebriùs in forma virunculorum apparent, & fæmellarum, ſpecie pigmæi, & cuncta ferè domeſtica miniſteria obire, equos curare, domum verrere, ligna ferre, aquam comportare, & ſimilia obire munera conſueverunt. Hi quandoque tantùm audiuntur, quandoque etiam videntur, & hominibus quaſi amore flagrantes ſeſe aſſociant, imò & incubi & ſuccubi fiunt, Alii denique dicuntur ſubterranei, qui ſub terra in cavitatibus, & metallorum fodinis commorantur, theſauros cuſtodiunt, quos avaritia hominum in terra abſcondit: & nè rurſus in uſum hominum perveniant, eos ſubducunt, furantur, & ad alia loca deducunt. Apparent ſæpè ſub forma nigri & horridi canis aut mulieris ſemianguinei capitis; hi ordinariè ſunt furioſi, perturbati, & peſſimi, etiam mortem hominibus inferentes, quamvìs etiam nonnunquam hominum ſocietate gaudere videantur,

ride-

rideant, & hominibus per modum Nani appareant.

*Quintò* ſpectra *magica* ſunt ipſimet ho- N 131
mines magi, & ſagæ ſub diverſis fotmis apparentes, hominésque moleſtantes: li. cèt enim dæmon nequeat homines transmutare in beſtias, aliámve formam ipſis dare intrinſecam, extrinſecè nihilominùs ita eos transmutare poteſt, ut ſub diverſis appareant formis. *Primò* ſiquidem illis ipſis, quos ſub beſtiarum forma apparere vult, ferarum exuvias aptiſſimè circumdat. *Secundò* ex aëre & terra ſpeciem & effigiem belluæ aut alterius formæ efformat, & membra phantaſtica membris humanis ita circumponit, ut quoad externam ſpeciem veræ beſtiæ tam ſibi, quàm aliis videantur. Et hoc, ſicut & priori modo apparentes, relinquunt beſtiarum veſtigia terræ impreſſa, dúmque ferina illa membra ſauciantur, etiam membra eorum ſauciata, & amputata reperiuntur, niſi dæmon ictum impediat. Tertiò poteſt dæmon illum, quem in beſtiam vult transformare, ſubtrahere ex aliorum oculis, & alicubi in loco abdito ſoporare, ipſe verò aſſumpto beſtiæ corpore ex apta materia, quam optimè novit, formato, & ſibi circumdato, illa coram hominibus agere, quæ beſtiæ patrant: poteſt inſuper phantaſmata hominis ſoporati ita immutare, & dirigere, ut ipſe omnia per ſeipſum effeciſſe putet.

Quare, ſi corpus illud phantaſticum ſaucietur, ſæpè etiam per dæmonem corpus ſagæ ſauciatur, ut plurimæ paſſim referuntur hiſtoriæ. *Quartò* demum poſſunt ſagæ & magi etiam in propria apparere ſpecie, & dæmon hominis eosdem videntis ita illudere potentiis, quaſi aliæ apparerent formæ.

Ex his modus ſecundus videtur cæterîs frequentior, licèt tertius etiam non ſit infrequens, imò ordinarius tunc, cùm apparent ſub ſpecie catorum, picarum, aliarúmque formarum corpore humano ſolitò minorum.

N. 132 *Sextò* ſpectra *animarum damnatarum* ſunt animæ damnatæ quandoque ex permiſſione divina apparentes. Exhibentur autem quandoque in corpore proprio ex ſepulchro reaſſumpto, & ope dæmoniaca moto: aliquando in corpore ex aëre & terra compacto, formâ horridâ, oculis ſcintillantibûs, ore hiante, linguâ tumidâ, & corpore ex omnibus juncturis flammas emittente. Veruntamen, ut benè docet Delrio diſq. mag. lib. 2. q. 26. ſect. 3. Brognolus in Alexicacon. Diſp. 2. n. 362. vix unquam damnatorum animæ ex inferni barathro ſinuntur egredi, ſed, licèt ſe animas hominum damnatorum dicant, ſæpiſſimè dæmones ſunt, ſe mendaciſſimè animas damnatas aſſeverantes, *tum*, ut homines illam in hæreſin inducant, quæ

aſſerit, omnes ſceleratorum hominum animas poſt mortem in dæmones, vel in alia animalia ſecundùm propria demerita converti. *Tum*, ut homines benè etiam, & in gratia DEI defunctos infament, dicentes eos eſſe damnatos.

Cùm autem dæmones in ſpecie viſibili apparent, plerumque in corporibus hominum vel animalium mortuorum, necdum corruptis apparent, licèt etiam propria virtute ex aëre (qui tamen mixtus ſit aliquo alio elementari corpore denſo, terræ, vel aquæ, ùt docent communiter Scotiſtæ poſt Scotum 2. report. diſt. 8.) formatis apparere poſſint. N.133

Utrùm verò animæ ſeparatæ ex aëre alicui alteri elemento commixto corpora formare queant, plurimùm controvertunt Theologi: Scotus in 4. diſt. 10. q. 7. & diſt. 49. q. 14. validiſſimis rationibus cum Henno, Aureolo, Capreolo, Faventino, & aliis affirmativam defendit. Suarez econtra in 3. p. q. 45. diſp. 32. ſect. 2. Dominicus Sotus, Peltanus, aliique negativam præferunt. Tu probabiliorem crede, quæcunque lubet, & in praxi, quam unicè intendo, non aberrabis.

*Septimò* tandem ceu ſpectra ſæpè comparent *animæ purgantium*, & in piacularibus flammis detentorum, prout plurimæ fide digniſſimæ teſtantur hiſtoriæ. N.134

## *Quæſtio ſecunda.*

### *Quænam ſpectra frequentiùs, quibus potiſſimùm hominibus, & quibus in locis appareant.*

N. 135 DIco 1. Omnium frequentiſſima ſunt ſpectra dæmoniaca, & magica, ſeu hominum maleficorum, rariſſima ſpectra hominum damnatorum: rariores apparitiones animarum purgantium. Ita P. Delrio & Brognolus loc. cit. Ratio *primi* eſt, quia dæmones ſunt Miniſtri malitiæ, ceu lictores & carnifices ad punienda hominum peccata, vel etiam ad augenda eorum merita, ſi fortes in fide reſiſtant, deputati; ſunt etiam inſenſiſſimi generis humani hoſtes omni momento nocere parati: ergò non dubitandum, quin divina voluntate ſæpiùs licentientur ad comparendum hominibus. *Secundi* ratio videtur eſſe potius negativa quàm poſitiva, ſcilicèt quòd ſponte ſua inferno excedere nequeant, neque ulla ſatìs efficax appareat ratio, cur DEus frequentem permittat egreſſum: non enim ſunt miniſtri juſtitiæ, ſicut dæmones, ſed rei æterno inferorum carceri mancipati. Inter damnatorum autem ſpiritus illi potiſſimùm DEI permiſſione videntur, qui graves exercuerunt tyrannides in ſubditos, vel

vel innocenter ab aliis in peccatis ſunt occiſi, vel ſeipſos violenter interemerunt, aliáque graviſſima perpetrârunt crimina, prout ex variis patet hiſtoriis. Ratio *tertii* denuò *tum* experientiâ comprobatur, qua conſtat, quòd viris etiam ſanctis rarô admodum comparuerint. *Tum*, quia ordinariè etiam non apparentes per ſacrificia Miſſæ, aliáque opera meritoria juvari poſſunt. Neque omnes illi ſpiritus piacularibus flammis mancipati ſunt, qui bona conſulunt, ſuffragia, aut reſtitutionem fieri petunt, ùt benè docet Bedraza in ſumma in primum præceptum ſ. 10. Thyræus de ſpirituum apparitionibus cap. 16. n. 9. Victoria, Brognolus & alii; hæc enim omnia dæmones DEO permittente *tum* per ſe, *tum* etiam per homines maleficos facere poſſunt, & ſæpè faciunt. Minùs illi ſpiritus ex hoc ſolo motivo boni, & piaculares credendi ſunt, quòd alicubi theſaurum latentem indicent, dicentes, ſe tamdiu pœnis non poſſe liberari, donec theſaurus latens fuerit erutus, vel, donec reſtitutio fiat ab hæredibus? ſic enim docet communis Theologorum apud Dicaſtillo D. 1. de reſtitut. n. 38. contra popularem errorem. Nam defunctus, antequam obiret, vel fecit, quantum potuit, aut certè, quantum ſub gravi culpa debuit ad præceptum reſtitutionis implendum, vel theſaurum denuò eruendum, vel non

 fecit?

fecit? ſi poſterius, eò ipſo eſt in loco, unde non datur egreſſus. Si prius: tunc certum ſatisfactionis tempus à diſtricto Judice eſt præfinitum, quo completo, æquum non eſt, eundem ulteriùs detineri.

N136 Dico 2. Animæ purgandæ apparent potius fidelibus, quàm infidelibus, piis potius, quàm impiis, conſanguineis, quàm extraneis, quoniam ab iis ſubſidium ſperant, non ab aliis. Damnatæ animæ iis apparent frequentiùs, qui pœnarum infernalium ipſis authores fuerunt. Denique dæmones ſæpiùs apparent hominibus flagitioſiſſimis, vel etiam ſanctiſſimis: illis, ut ceu miniſtri juſtitiæ perſequantur, his, ut perverſa ſua voluntate eosdem à tramite ſanctitatis avertant; prout paſſim teſtantur hiſtoriæ apud Authores ſæpè laudatos videndæ. Unum nihilominus ſemper mihi creditu hucusque difficile fuit, quòd his noſtris temporibus quibusdam, præſertim fæminis, ſecundùm propriam earum aſleverationem tam crebræ fiant animarum purgantium apparitiones, cùm raræ admodum legantur factæ Patribus reverà ſanctiſſimis, omnibus virtutibus ornatis; raræ etiam Matronis omni ſanctitate præfulgidis, cùm ſimiles fæminæ vix aliâ ſanctitatis notâ, quàm animarum liberatione, reſplendeant.

N137 Dico 3. Quod locum ſpectrorum attinet, ſolent hæc hominibus apparere in diverſis locis; nihilominus inter loca ſpectris

malis

malis infeſtata præcipuè videntur eſſe. 1. incultæ & deſertæ ſolitudines, prout innuere videtur Iſaias cap. 34. v. 14. ubi ſpiritu prophetico poſt devaſtationem Idumææ, prædicit: *Et occurrent dæmonia onocentauris, & piloſus clamabit alter ad alterum: ibi cubavit lamia, & invenit ſibi requiem.* Et S. Joan. Apoc. cap. 18. v. 2. de Babylone excidenda, & in ſolitudinem redigenda loquens, ait: *Et facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritûs immundi.* Sic etiam S. Raphaël *Apprehendit dæmonium, & religavit illud in deſerto ſuperioris Ægypti.* 2. Frequenter ſpectra mala in locis humidis, & paludoſis eſſe ſolent, & probabiliter ſæpè ignibus fatuis ſeſe immiſcent, ut viatores ſeducant. 3. Frequenter in ſylvis & nemoribus commorantur, ubi jam quaſi venationes inſtituunt, jam alias hominibus tranſeuntibus moleſtias inferunt. 4. Perſæpè etiam arces & caſtella diruta & antiquata incolunt, ita, ut prorſus fiant hominibus inhabitabilia. 5. Non raro pariter commorantur in locis, ubi verſantur crudeles homicidæ, imò etiam in templis, aliiſque locis ſanctis, & domibus privatis, prout plurimæ teſtantur hiſtoriæ. Econtra animæ purgandæ ut plurimùm ſunt in locis, quæ priùs inhabitârunt, vel ubi priùs deliquerunt: ſic enim ſæpè videntur, ubi commiſſa ſunt prælia: quamvìs etiam ex voluntate divina alibi poſſint ſuas exſolve-

re pœnas. De animabus damnatis idem ac de purgantibus dicendum videtur.

## *Quæſtio tertia.*

### *Quænam ſint ſigna dignoſcendi ſpectra diabolica ab Angelis bonis?*

N. 138 TRansformat ſe frequenter Angelus malus in Angelum lucis, imò Sanctorum, ac ipſiusmet etiam Chriſti Domini formam induit: inſtituit colloquia ad formam ſanctiſſima, conſulit optima, Sanctos mirum in modum deprædicat, Chriſti merita exaltat, etiam in locis ſacris inter filios DEI adſtat, bonis & ſanctis viris ſe manifeſtat, inſolitas ſuadet auſteritates, & macerationes corporis, miracula falſa quaſi vera patrat, ut vel ſic ſub ſchemate boni latens inſtillet venenum: ſed non omne, quod ſplendet, aurum eſt, non omne, quod bonum videtur, bonum eſt. Quare, ut prudens Exorciſta in cognitionem malorum ſpirituum fraudis & deceptionis devenire, eósque ſua ſtatione pellere poſſit.

N. 139 Dico. Signa dignoſcendi Angelos bonos ab Angelis apoſtatis, potiſſimùm ſunt ſequentia:

1. Si ſpiritus apparentes SS. Trinitati, SS. Nominibus JESU & MARIÆ reverentiam exhibeant, certum eſt, eſſe ſpiritus

tus bonos : quare, ſi is, cui apparent, dubitet, boni ſint, an mali, præcipere juvat, ut in ſignum certitudinis capeſſendæ dicant : *Laudetur SS. Trinitas, laudetur SS. Nomen JEſu & Mariæ &c.* Quòd ſi enim ſpiritus abſolutè renuant, aut tergiverſentur, certò mali ſunt.

2. Si ſpiritus apparens, & in SS. Nomine JESU de veritate edicenda adjuratus, quis ſit, & qualis ſit, ſubitò diſpareat, licèt denuò in forma priori, vel alia appâreat, malus eſt : quare dubitans, ſicut quilibet ordinariè dubitare debet, de bonitate, vel malitia ſpiritûs apparentis, fortis in fide ſpiritum apparentem adjuret dicens : *In Nomine Domini noſtri JESU Chriſti te conjuro, ut dicas, an bonus, vel malus ſis ſpiritus*, vel, *ut SS. Nomen JEſu glorifices.* Si quippe ſit ſpiritus malus, diſparebit ſubitò ; ſi econtra ſit ſpiritus bonus à Deo miſſus, cum jubilo SS. Nomen glorificabit.

3. Si ſignum S. Crucis, Reliquias Sanctorum, ceream effigiem agni DEI, aquam luſtralem, aliáque ab Eccleſia benedicta horreat, vel ſeparari jubeat, malus eſt ſpiritus.

4. Si appareat formâ non humanâ, ſed canis, hirci, ſerpentis, ſuis, draconis, bufonis, vel ſimilium animalium, aut in ſpecie æthiopis, malus eſt genius. Econtra, ſi formâ appareat humanâ, dubium eſt, & priora tria ſigna, vel unum eorum ad certam

tam capeſſendam experientiam uſurpandum.

5. Si in formâ columbæ, vel agni appareat, bonus eſt ſpiritus: non enim legitur, teſte Delrio, diabolos has aliquando formas aſſumpſiſſe.

6. Si in ſpecie hominis deſperati, ſuperbi, libidinoſi, vindictam appetentis, vel aliàs perturbati animi oſtentationem præſeferentis appareat, malus eſt ſpiritus.

7. Si ſuæ apparitionis cauſam prætexat vanam, curioſam, parùm neceſſariam, aut quam neſcire expediret, ſpiritus damnatus eſt.

8. Si ſua oratione mentem hominis excitet ad ſuperbiam, vanam gloriam, ad præſumptionem animi, ad deſperationem vel ad alium minùs ordinatum affectum, malus eſt ſpiritus.

9. Si cauſam prohibeat tractari cum Superioribus, vel cum Confeſſario, malus eſt ſpiritus: nam boni ſpiritus non invertunt ordinem à Scriptura ſacra, & SS. Patribus traditum, cùm facilè poſſint movere ſuperiores.

10. Si aliqua dicat, quæ ſunt contra fidem, contra præcepta DEI vel decalogi v. g. ut homo ſe ipſum crucifigat, inedia interficiat &c, denuò malus eſt ſpiritus; bonus enim præcepta firmare, malus econtra infringere ſtatuit.

11. Si in corpore humano cæteroquin benè formato appareat, pedem nihilominus capreæ, equi, vel alterius animalis habente, malus eſt genius: multis enim hiſtoriis comprobatum eſt, DEum non permittere dæmonibus, ut in corpore humano ſecundùm omnia benè formato appareant.

12. Si magnos excitet tumultus, inſolitos edat ejulatus, quaſi compedibus conſtrictus appareat, Angelus bonus non eſt, ſed vel dæmon, vel damnatus, vel purgandus.

13. Si opprobria & contumelias ſibi ex ſancto zelo illatas impatienter, & indignabundè ſuſtineat, probabiliùs denuò malus eſt ſpiritus. Sic, velut legitur in vita B. noſtri Ruffini cui dæmon in forma Chriſti Crucifixi ſæpiùs apparere conſuevit, S. Franciſcus eundem liberare volens, hanc tradidit regulam: *Ut verè ſcias, quòd ille, qui tibi apparet in forma Crucifixi, non eſt Chriſtus, ſed diabolus: cùm iterum tibi apparuerit, dicendo: Ego ſum Chriſtus, reſpondeas illi: Aperi os tuum, & implebo illud ſtercore.* Quod cum feciſſet Frater Ruffinus, indignatus dæmon, cum maximo tumultu inde receſſit, disrumpendo lapides, & rupes montis ſubaſii.

14 Si voce utatur ſtridula, ſubſibilante, confuſa, obſcura, & quaſi ex dolio, vel per teſtam rimoſam, malus eſt ſpiritus, ùt docet

cet Remigius lib. 1. dæmonal. cap. 8. Ratio eſt, quia inſtrumenta in tali corpore non ſunt ſatis apta ad perfectam vocem edendam.

15. Secundùm mentem D. Antonii Abbatis, *Non eſt difficilis bonorum, malorúmque ſpirituum diſcretio: ſi enim poſt timorem ſucceſſerit gaudium, à Domino ſciamus veniſſe auxilium: ſi autem incuſſa formido permanſerit, hoſtis eſt, qui videtur.* Hæc ille. Quin imò, ſi extrema gaudii luctus occupet, malus eſt ſpiritus: econtra, ſi aliqualem timorem perfecta in Domino ſequatur lætitia, bonus eſt.

Hæc ſunt ſigna non obſcura dignoſcendi viſiones malorum ſpirituum à bonis. Licèt autem uno die ſpiritus bonus appareat, & altero eadem formâ tectus apparens idem videatur, non continuò judicandum, eundem eſſe ſpiritum bonum: diabolus enim æmulus Angelorum bonorum altero die eandem poteſt aſſumere formam, ut totum deſtruat, quod Angelus bonus implantaverat.

## *Quæſtio quarta.*

## *Quænam ſint ſigna diſcernendi ſpectra diabolica ab animabus purgandis?*

N140 DIco, pleráque ſigna dignoſcendi ſpectra diabolica ab angelicis ſpiritibus in cœlo cum DEO regnantibus,

tibus, pariformiter ſigna ſunt dignoſcendi eadem ab animabus purgantibus: quibus ſequentia videntur ſuperaddenda.

1. Licèt forma humana ſit omnibus ſpectris communis, nihilominus forma humana perfecta, & nihil habens peregrinum, & ab humana alienum, probabilius ſolis humanis ſpectris propria eſt, ut docet Thyræus, Schotus, & alii. Quare ſagæ apud Remigium lib. 1. dæmonal. cap. 7. fatentur, facies ſuorum martinellorum (ſic ſuos diabolos vocant) *eſſe ſubobſcuras, & atras; lumina penitus abdita, & inſtar flammæ micantia; oris rictus ſparſos, profundos, ac perpetuò olìdi, ſulphureíque aliquid æſtuantes; manus ſtrigoſas, & villis atque hamis deformes; pedes corneos ac bifidos; ſtaturam nunquam juſtam, ſed aut brevitate, aut vaſtitate ſemper aliqua inſolentem &c.*

2. Voces ſolis brutis, aliíſque monſtris propriæ, item ſoni, qui cum ingenti tumultu fiunt, probabiliter ſunt ſolorum ſpectrorum diabolicorum: nam animæ purgantes non apparent, ut terreant, ſed præcipuè, ut ſe prodant, ſuæque miſeriæ levamen accipiant.

3. Suſpiria, gemitus, fletus, vox triſtis & lachrymalis ſine impatientiæ ſigno, probabile eſt indicium ſpectrorum humanorum: licèt enim hoc etiam dæmones poſſint, id nihilominùs propriè purgantibus animabus convenit.

4. Si

4. Si amore JEſu, vel amore DEI auxilium ſpirituale petant, animæ ſunt purgantes.

5. Sermo apertè malus, blasphemus, item detractiones, convitia, mendacia, turpiloquia, aliáque id generis plura, diſtinguunt ſpectra diabolica ab animabus purgantibus, non tamen à damnatis, nec à ſpectris magicis.

6. Revelatio occultorum plerumque ſpectra diabolica indicat, & ab animabus purgantibus diſtinguit: dæmones enim naturali ſcientiâ plura cognoſcunt occulta, quæ animæ defunctorum ſcire nequeunt, niſi DEO ipſis revelante, de quo tamen certò non conſtat.

7. Moleſtiæ excitantes ad peccatum, vel conjunctæ cum ſimili geſticulatione: item ſolùm vexandi causâ factæ, ſigna ſunt malorum ſpectrorum; non enim boni ſpiritus ad peccatum excitant, vel ſimilia faciunt, ſed humiliter ſe produnt. Quare ſpectra illa certas domus infeſtantia, & miros tumultus ſtrepitúsque excitantia, atque homines ita vexantia, ut inhabitare nequeant, malorum ſpectrorum indicia ſunt.

8. Si adjutorium cum certa determinatione exigant, atque eo præſtito importuniora fiunt, ſpectra diabolica ſunt; nam animæ, cùm ſatisfeceris, vel non redeunt, vel ſemel duntaxat ad agendas gratias.

Sic Nicolaæ Alberiæ, teſte Bodino, ſatan ad foſſam patris apparuit, tamquam è ſepulchro prodiens, qui Miſſas plurimas celebrari, certáſque peregrinationes ſuſcipi juſſit; nec tamen propterea miſeram exagitare deſtitit: Et quamvis ſe priùs avum illius reſpondiſſet, tandem Beelzebub eſſe confeſſus eſt.

*9.* Si ſuæ apparitionis cauſam falſam prætexunt, v. g. dicunt, ſe comparere vi conjurationis magicæ, vel, ut revelent curioſa, parùm neceſſaria, dæmones ſunt.

*10.* Spectra, quæ etiam interdiu apparent, & ſacris temporibus ſentiuntur, probabiliter bona ſunt: nam mala & lucem oderunt, & ſacra omnia refugiunt.

Hæc potiora ſunt ſigna dignoſcendi ſpectra diabolica ab animabus purgantibus, ſed nulla ſecuriora, nulla certiora, quàm prima tria quæſtione 3. præcedenti relata.

## *Quæſtio quinta.*

## *Quænam ſint ſigna diſtinguendi ſpectra diabolica à magicis, & animabus damnatis?*

DIco I. Difficilem eſſe diſcretionem ſpectrorum diabolicorum à ſpectris magicis; cùm etiam homines malefici ſub diverſis ſoleant apparere formis. Nihilominus fors ſequentia deſervient.

1. Corpora à dæmonibus aſſumpta frigida ſunt, econtra magorum calida: unde etiam, ſi qui cum diabolo coitum habeant, frigidus, injucundus, & moleſtiſſimus eſt, ùt ſagæ uno ore fatentur apud Brognolum in Alexicacon. diſp. 3. n. 558. ſentiunt enim corpora dæmonica ita gelida, ut nulla glacies eorum frigori valeat comparari; manus marmoreas, duras & rigentes, ſemen & excrementum deſtitutum calore. &c. Refert etiam Cajetanus in 2. 2. q. 95. art. 3. dæmonem cuidam ſagæ de hoc frigore & horrore corporis quærenti, reſpondiſſe, ſe non poſſe facere melius. Cujus ratio fortè unica eſt, quia DEus non permittit, ut corpori cadaverico, aut elementari de ſe frigido calorem communicet.

2. Sæpè etiam ex voce diſcernuntur; nam vox dæmonum ſtridula eſt, confuſa & obſcura, & quaſi per teſtam rimoſam procedens: econtra vox magorum ordinariè magìs articulata & clara, ſi fortè loquantur, quod tamen rariſſimum eſt, ne ex voce deprehendantur.

3. Chriſtus ipſe Luc. 24. v. 39. dat ſignum diſtinctivum, cùm Apoſtoli eo viſo putarent, ſe ſpiritum videre; ad falſam eorum opinionem rejiciendam, dixit: *Videte manus meas, & pedes, quia ego ipſe ſum; palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Veruntamen

licèt

licèt hoc ſignum certum ſit, & infallibile, non tamen eſt univerſale, cùm ſpiritus etiam corpora hominum mortuorum aſſumere queant. Apoſtolis nihilominus certum & infallibile diſcernendi ſignum fuit, non quidem ex ſe, & abſolutè, ſed ſuppoſitis verbis primæ Veritatis, ùt interpretatur D. Thomas apud Tirinum in locum præfatum.

4. Dæmones horrent SS. Nomen JEſu & Mariæ, aliáque Sacramentalia; quæ tamen non horrent malefici: quinimò exprimere, atque fucatè & ironicè invocare poſſunt, ita, ut omnibus animæ purgandæ videantur: quare cautiſſimè procedendum.

5. Signum cæteris certius & efficacius eſt adjuratio in SS. Nomine JEſu facta: ſi enim diabolus reverà præſens fuerit, infallibiliter reſponſum dare coactus erit, prout infrà cap. ſeq. dicetur.

Cæterùm parùm utilitatis afferre videtur diſcretio ſpectrorum diabolicorum à ſpectris magicis: non enim dubium, diabolum ſemper eſſe præſentem, quotiescunque ope ejuſdem malefici in domibus, aliiſque locis apparent: ſi ergò dæmonem viceris, facili negotio etiam maleficos vinces.

Dico 2. Signum diſcernendi ſpectrum N. 142 diabolicum ab anima damnata, unicum ſufficiens eſſe videtur, videlicet adjuratio

 in

in SS. Nomine JESU facta, & capite ſequenti uberiùs declaranda: nam, quòd aliqui formas brutorum aut beſtiarum ſolis dæmonibus eſſe proprias contendant, pluribus repugnat hiſtoriis. Ut reliquas ſilentio involvam, unam ex Chronicis noſtris p. 3. cap. 38. adduco: Orabat quodam die Frater Minor Provinciæ Siciliæ alumnus in Eccleſia ferventiùs, viditque fæminam quandam cæteroquin nudam, aureis tamen crepidis indutam, & à duobus lupis comitatam, approximare Eccleſiæ: Cùm autem ad fores Eccleſiæ adveniſſet, illâ in Eccleſiam ingreſsâ, ſubſtiterunt lupi, & reditum ejus præſtolati ſunt. Poſtquam coram ſummo Altari ſuam perſolviſſet orationem, denuò ad lupos rediit. Frater totus attonitus, miratur factum, atque adjurans fæminam locò DEI præcipit, ut edicat, quænam ſit mulier, cur ita incedat, & quorſum tendat? paret præceptò mulier, ac reſpondet: Pater, mulierem me fuiſſe ſcias, toto vitæ meæ curriculo vanitatibus, novísque adinveniendis veſtium luxibus ſtudioſiſſimam: cùm verò ad extremum vitæ meæ perveniſſem, totum vera cordis contritione depoſui, atque remiſſionem culpæ obtinui, condemnata ob remanentem adhuc pœnæ reatum ad purgatorium, ut ita nuda coram omni populo compaream: lupi verò, quos præſentes intueris, duo fuerunt Parochi,

rochi, mei olim Confeſſarii: & quia ſuo officio minimè functi, in lupos infernales converſi ſunt; te rogo & obſecro, ut mei miſerearis, DEóque in orationibus tuis pro me miſera & afflicta ſupplex fias. Plura ſimilia ſæpiùs ab Authoribus referuntur, quæ brevitatis gratia prætermitto.

# CAPUT ſextum.

## De modis ſpectra pellendi.

### *Quæſtio prima.*

### *Quomodo ſpectra diabolica ex domibus, aliiſque locis poteſtate exorciſtica ſint pellenda & ejicienda?*

ADvert. certum eſſe experientiâ ipsâ N143 lugubribus ſæpè caſibus confirmante, dæmones non homines duntaxat, ſed & domos, arces, aliáque loca infeſtare, ac quaſi poſſidere, ita ut multoties inhabitabilia fiant: jam enim in umbrarum formâ ſe hominibus oſtendunt, jam ſibilant, loquuntur, rident, alióſque rumores & tumultus excitant: jam vaſa verè, jam ad apparentiam duntaxat, confringunt, habitantes perturbant, ſomnum impediunt: jam lapides jaciunt, verbera infligunt, jam mortem ipſam inferunt, jam miras alias inſolentias perficiunt,

ciunt. Quare, ut illos faciliter pellendi & ejiciendi modum tradam.

N. 144 Dico 1. Si Exorciſta poteſtate ſibi divinitùs tradita ex domibus, aliíſque locis infeſtatis dæmones expellere velit, ſequentia pro praxi ante expulſionem obſervanda ſunt.

*1.* Antequam ullum adhibeat præceptum expulſivum, diligentem faciat à Dominis & habitatoribus domûs infeſtatæ inquiſitionem de principio & tempore infeſtationis: item de loco principali, an videlicet in aliquo cubiculo duntaxat, vel an in omnibus & ſingulis: an nullam poſſint ſibi cauſam infeſtationis imaginari: item, an ſolum dominum, certum famulum, aut ancillam infeſtet: an major uni, quàm alteri habitatori inferatur moleſtia: quantos producat effectus: an etiam à vicinis audiatur & videatur: an in ſpiritualibus etiam exercitiis & orationibus moleſtentur: denique an, & quæ fuerint adhibita remedia. Ratio harum & plurium ſimilium interrogationum eſt, quia iis mediantibus in diſcretionem ſpirituum deveniri poteſt,

2. Convocati, & in unum congregati domeſtici breviter in fide & fiducia inſtruantur, præſertim in pertinentibus ad DEum, ad Exorciſtam, & adversùs diabolum, prout in parte 1. noſtri Armamentarii cap. *6.* à q. 2. fuit traditum.

3. Ni-

*3.* Niſi fortè ex ſignis certis vel probabilibus Exorciſta deſumpſerit, animam eſſe in piacularibus flammis detentam, & ſuffragia poſtulantem, moneat habitatores, vix unquam comparere animam damnatam, ſed ordinariè eſſe dæmones, aut maleficos, prout cap. præc. dictum, & communiter tenent Authores.

4. Moneat habitatores, ut ſe in omnibus Exorciſtæ conforment, præſertim in vera fide & fiducia, omnem abjicientes metum diabolicum: diabolus enim in DEI ſervos nullam exercere tyrannidem poteſt ſecundùm dicta in p. 1. cap. 2. q. 4.

*5.* Pariter moneat & inſtruat eosdem de diaboli fraudibus, qui plerumque ſolet ſuggerere, ſe eſſe ad theſaurum ſub terra defoſſum, cuſtodiendum deputatum; ſe eſſe animam alicujus damnati, vel purgantis: ſe certò non receſſurum, quia plenario jure domum poſſidet: item, gravem ibi eſſe mortuum peccatorem, cui locus ille à Deo ſit deſtinatus ad pœnam. Hæc & ſimilia plura verſipellis hoſtis ſuggerit, ut fidem & fiduciam diminuat, atque ita expulſionem impediat. Licèt autem illa quandoque eveniant, ordinariè tamen mera figmenta ſunt.

Dico 2. Quòd ſi Exorciſta ex præcedentibus ſigna ſaltem probabilia infeſtationis diabolicæ comperta habeat, atque Dominum, omnéſque domûs habitatores N.145

fortes in fide, & intrepidos reperiat, ipſe in actuali expulſione ſequentem obſervet ordinem.

1. Superpelliceô & ſtolâ, ſi haberi poſſint, indutus, accepta Cruce, candelis benedictis accenſis, & aquâ benedictâ, cum omnibus, vel ſaltem plerisque habitatoribus ad portam domûs proceſſionaliter accedat, ibíque Litanias Sanctorum Omnium inchoet, modô in aliis Proceſſionibus conſuetô.

2. Proceſſionaliter proſequendo Litanias inchoatas revertatur ad locum principaliter infeſtatum, ibíque coram Crucifixi imagine, aut aliâ ſacrâ priùs præparatâ, easdem finiat, & ſi lubet, etiam Pſalmum *In te Domine ſperavi* &c. vel: *Qui habitat in adjutorio altiſſimi &c*: ſubjungat.

3. Omnes habitatores domûs iteratò ad actus fidei & fiduciæ eliciendos adhortetur, ipſéque ceu Judex à Deo deputatus ſedeat, atque capite cooperto, voce gravi, & ſonora præceptum probativum contra dæmonem pronuntiet, hac, vel ſimili forma.

N. 146 EGo N. contra vos dæmones Judex à Deo deputatus, omni illa poteſtate, quam accepi in Ordine Exorciſtatus, vobis in virtute SS. Trinitatis, & in

& in nomine Domini noſtri JESU Chriſti præcipio, ut ſi aliquam habeatis poteſtatem hanc domum (vel locum) infeſtandi, vel ejus incolas moleſtandi, illicò, ſine ulla tamen cujuscunque læſione, detis mihi ſignum evidens præſentiæ veſtræ, aliquem cauſando tumultum, vel rumorem, quem priùs me abſente cauſare conſueveratis.

Quòd ſi nullus audiatur tumultus, nec ullum aliud præſentiæ diabolicæ ſignum percipiatur, Exorciſta habitatores bono animo eſſe jubeat, & ab omni timore diabolico alienos, eò, quòd facultas domum infeſtandi, & eos moleſtandi, diabolo ſit à DEO ſublata: nam dæmon domum infeſtans, jam accedit, jam recedit, neque omni tempore præſens eſt: quare ſi ei abſenti porta regreſsûs ſpiritualibus ſeris obſeratur, & claudatur, nullus ampliùs ingreſſus patebit. Unde ulteriùs Exorciſta contra dæmonem ſuperaddat.

Cùm ergò ſim Miniſter Chriſti & Eccleſiæ, Judex contra omnes dæmones à DEO deputatus, vobis om-

nibus & ſingulis dæmonibus in Nomine Domini noſtri JEſu Chriſti interdico, nè impoſterum quocunque tempore audeatis appropinquare huic loco, vel habitatoribus ejus, nec ullum incolam quocunque modo moleſtare. In Nomine ✝ Patris, & ✝ Filii, & Spiritus ✝ Sancti. Amen.

Poſtea verò remedia præſervativa præſcribat, & applicet, quæ p. ſeq. ſunt præſcripta.

Quòd ſi verò dæmon Exorciſtæ pareat, cauſando ſtrepitum, ſicut reverà, ſi præſens ſit, parere neceſſe habet, mox præceptum lenitivum ſubjungat, dicens:

*Ut Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in Nomine Domini noſtri JEſu Chriſti tibi præcipio, ut illicò ab omni tumultu vel rumore cauſando deſiſtas.*

Poſtea præſentes moneat, ut firmiter credant, quòd dæmon, ſicut huic ſuo præcepto probativo & lenitivo paruit, ita & expulſivo parere debeat.

4. Jubeat, ut omnes genuflectant, & Dominus habitationis locò omnium contritionis & confidentiæ in DEum actus eliciat, dæmonem deteſtetur & vilipendat hac, vel ſimili forma.

N. 147 O Mein HErr und GOtt Chriſte JESU! ſihe / ich dein unwürdigiſter Diener (oder Dienerin) ligend vor deiner Göttlichen

lichen Majeſtät bekenne / daß ich dich vilmalen ſchwärlich beleydiget : ja es kan leichtlich geſchehen ſeyn / daß du von anderen noch Lebendigen / oder ſchon Verſtorbenen ſchwerlich biſt beleydiget worden : aber ich bitte dich / durch dein unendliche Güte / und Barmhertzigkeit / durch deine Treu dein Verſprechen zu halten / durch die Krafft und Würckung deines Allerheiligiſten Leydens / durch die Verdienſt deiner Allerheiligtſten Mutter / und anderer Heiligen GOttes / abſonderlich des Heil. N. N. als Hauß-Patronen : du wolleſt mir armſeeligen Sünder / und allen anderen Lebendigen / oder in dem Fegfeuer leydenden Seelen / die dich in diſem Ort villeicht beleydiget / die Sünd verzeyhen ; dann ich verſpriche mit deiner Göttlichen Gnad mich hinführo zu beſſeren / alle mir untergebene von Sünden abzuhalten / im Guten zu beförderen / und nach Befehl meines Beicht-Vatters nach Möglichkeit genug zu thun. Derohalben bitte ich dich demüthigiſt / du wolleſt uns alle deine Göttliche Gnad verleyhen / uns von aller teuffliſchen Quaal befreyen / damit wir hinfüro unter deinem Göttlichen Schutz und Schirm leben / dein Heil. Namen JESUS beſtändig mögen loben / und preyſen.

Und dir / hölliſcher Teuffel / ja allen teuffliſchen Geſpenſteren befehle ich in dem lebendigen Glauben / welchen ich habe auf Chri-

Chriſtum JEſum meinen HERRN und GOTT / daß ihr alle fliehet und weichet auf das Gebott diſes Ehrwürdigen Prieſters / und hinführo keinen Gewalt mehr erzeiget über mein Hauß / noch Haußgenoſſene / inmaſſen alles lebet / und ſtehet unter dem Schutz und Schirm des Allerheiligſten Nahmens JESUS / auf welchen ich mein gäntzliches Vertrauen genommen.

His omnibus peractis Exorciſta ſedens, dexterâ per modum minitantis extenſâ, voce gravi & terribili, cæteris omnibus genuflexis, & DEum invocantibus, Exorciſmum expulſivum hac vel ſimili forma pronuntiet:

## *Exorciſmus ad expellendum dæmonem à loco infeſtato.*

N. 148 CONtra vos ſpiritus apoſtaticos, rebelles DEO veſtro, oſores hominum, perturbatores pacis, plenos omni dolo & fallacia, Ego N. conſtitutus ſum Miniſter Chriſti & Eccleſiæ; ideò poteſtate, & authoritate, quam accepi in Ordine Exorciſtatus, vobis in Nomine Domini JEſu Chriſti præcipio, ut illicò, & ſine ulla mora ab hoc loco, ejúsque incolis recedatis, neque habeatis imposterùm ullam potesta-

teſtatem habitandi, diſcurrendi, vel quemcunque tumultum, aut rumorem excitandi in eo, vel ejus habitatores divexandi, aut quocunque modo inquietandi, vel perturbandi, ſive de die, ſive de nocte, vel eis apparendi ſub quacunque forma, vel figura, nec voces formandi, aut quidquid aliud operandi. Exite ergò, ac fugite ſpiritus maledicti, ſic enim præcipio vobis in Nomine JEſu Chriſti, ſic jubeo ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ, in Nomine Patris, ✝ & Filii, ✝ & Spiritûs ✝ Sancti. Amen.

Vel, ſi mavis, utere formulâ ipſius B. V. Mariæ, deſcriptâ in Myſtica Civitate DEI Mariæ de JEſu p. 2. lib. 3. cap. 28. n. 370.

*Quis ut DEus, qui in altis habitat* (poſſunt N 149
hæc verba bina vel trina vice repeti) *Princeps tenebrarum, auctor peccati, & mortis, in nomine Altiſſimi tibi præcipio, ut conticeſcas. atque jam nunc apage cum omnibus miniſtris tuis ad profundas, & caliginoſas, inferni cavernas, quibus æternùm addicti eſtis. Unde jam non exeatis, donec promiſſus Meſſias penitùs vos conterat, aut fortè exeundi facultatem concedat.*

Cæterùm, quîa ex dictis p. 1. cap. 4. q. 6. Exorciſta nequit dæmonem in ſtag-

num

num ignis & ſulphuris mittere, prior formula videtur magis accomodata: Beatiſſima quippe Virgo ceu Domina inferorum abſoluta uſa fuit poteſtate, quæ tamen Exorciſtis tradita non videtur.

Porrò, quia ex communi paroemia
N.15 verba movent, exempla trahunt, unicum
referre placuit exemplum ſub annum 1723. mihi per aliquem noſtræ Reformatæ Provinciæ Antoniano-Bavaricæ communicatum, plus tamen admirandum, quàm imitandum. Advenerat ſub annum præfatum circa Feſtivitatem S. Joannis Baptiſtæ quidam Ruſticus in noſtrum Conventum, mira ac tremenda narrans de ſpectro domum ſuam diu noctúque infeſtante, ita, ut penè inhabitabilis fieret: ſupplicat Conventûs Guardiano, ut miſerè afflicto remedium afferat opportunum. Quare Superior, re maturè diſcuſſa, duos Patres eidem in auxilium determinat, qui formam hìc à me præſcriptam ſervantes facili negotio dæmonem expulerunt, ita, ut per aliquod temporis ſpatium nihil ampliùs audire, nihil videre, verbô, nullum dæmonis veſtigium deprehendere potuerint.

Tandem circa Feſtivitatem S. Michaëlis jam ad extra, jam ad intra, nunc proximè, nunc remotè tumultuantem iterum dæmonem adverterunt habitatores.

Denique ob indiſpoſitionem, illorúmque in fide titubationem, plenam, ùt ante, con-

ſuetis

ſuetis terrificis apparendi formis, nec non domeſticos per ululatum & continuum fermè diu noctúque rugitum, aliósque horrendos modos torquendi licentiam avernale ſibi denuò vindicabat ſpectrum. Caſu (ſcribit unus præfatorum Patrum) ad illum perveni locum, ubi ſecundùm latum & longum, mihi nîl ampliùs ſimile ſuſpicanti, omnia ſunt expoſita; quorum triſtis & amara expoſitio ita meam vulnerabat animam, ut ex momento ſtatuerim, è domo non exire citiùs, donec hoc diabolicum monſtrum ſimul ejectum conſpicerem. Omnibus in ſimul convocatis domeſticis, inſtruxi, docui, confortavi, quantum divinus mihi ſpiritus inſufflabat. Quare modô præſcriptô proceſſionaliter ante portam domûs Litanias Sanctorum omnium inchoavi, atque easdem proſequendo cubile ſupremum, ordinarium illius domicilium aſcendi: mandavi præprimis, ut dæmon illicô edat ſigna conſueta. Poſt repetitum jam mandatum aliquem, non verò gravem, percepimus omnes tumultum. Ego exinde magìs exſtimulatus, ſimúlque in Domino confortatus, tentavi, quòd meâ vitâ tentare ampliùs non auderem, nec ulli ſuaderem: præcepi nempè, ut præſentialiter ſe ſiſtat, & unà cum illis, quas aliàs oſtendebat, formis ſe exhibeat. Hoc præceptum reiteravi quater: ab initio ad hoc mandatum ita ejulabat, ut ampliùs meipſum

ſum loquentem percipere non potuerim: ejulatum autem intendebat juxta intenſionem & repetitionem præcepti Denique córam apparuit tam variabile, abominabile, terribile, tremendum, avernale Portentum, ut, ſi gratia Dei non prævaluiſſet, certè mortuus in terram cecidiſſem: omnes enim domeſtici viſo hoc terribili monſtro fugam velocius Euro capeſſebant, me ſolo relicto. Ab illa viſione diabolica, qualem ego in corpore meo circumferam animum, ſi omnium hominum linguas haberem, explicare tamen potens non eſſem. Umbram illius, & hanc aliqualiter duntaxat ſibi quis præfigere velit, poſtquam intellexerit, quòd dæmon omnibus illis formis, quibus aliàs modò ùt bos, modò ùt aper, modò ùt beſtia cornuta, modò ùt vetula turpiſſima, modò ùt æthiops nigerrimus, ignem ſpirans & evomans &c. apparuerit. Confortatus nihilominus formavi præceptum expulſivum, & reverà felici cum ſucceſſu: hoc enim domeſtici illi habent ſolamen, quòd ab illa exorcizatione nec ſignum alicujus præſtigii, minùs dæmonis advertant. Hæc ille: cujus nomen animo utique perlubenti detegerem, niſi præfatis litteris, verus utique humilitatis amator, per omnia rogâſſet ſilentium nominis perpetuum. Tu benevole Exorciſta ex hiſtoria præfata ſelige, quæ minùs tuum ad ſimile obeundum munus abſterrent animum.

Dico

Dico 3. Formatô jam præcepto expulſivô in loco principaliter infeſtato, poterit Exorciſta obſervare ſequentia : N. 151

1. Aſpergat omnes habitatores domûs, imò & ipſum locum infeſtatum aquâ benedictâ, quærátque, an etiamnum timeant de præſentia diabolica, vel, an credant, dæmonem divina virtute verè expulſum? quòd ſi enim priùs in vera fide & fiducia ſint confortati, infallibiliter animo hilari & intrepido expulſionem credant.

2. Pro majori aſſecuratione formet ulteriùs præceptum probativum, hâc, vel ſimili formulâ, ſive in lingua materna, ſive latina :

Et EGo N. licèt probabiliter credam omnes dæmones ex hoc loco divina favente gratia totaliter jamjam eſſe expulſos, ita, ut nullam ampliùs habeant poteſtatem hìc habitandi, vel quemcunque tumultum, aut rumorem excitandi, aut habitatores quocunque modo moleſtandi : nihilominus, ut de veritate omnimoda nobis conſtare queat, iteratò ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ tibi dæmon, vel, ſi plures eſtis, vobis dæmonibus in Nomine Domini noſtri JEſu Chriſti præcipio, ſi aliqui reverà ſitis præſentes, & quamcunque habeatis poteſtatem in hanc domum vel locum, ut ſtatim detis mihi ſignum evidens veſtræ poteſtatis ac præſentiæ, aliquem cauſando tu- N. 152

multum, qualem priùs cauſare conſueveratis.

Si denuò tumultus audiretur, aut aliud certum præſentiæ diabolicæ ſignum perciperetur, habitatores domûs, præſertim verò Paterfamilias, magis in fide & fiducia eſſent roborandi, atque vel eodem, vel ſequenti die aut nocte novum præceptum expulſivum faciendum.

Si verò nullum perciperetur diabolicæ præſentiæ ſignum, Exorciſtæ officium erit magis confortare domûs incolas, nè ullum impoſterum timorem diaboli admittant; quod facili præſtabit negotio, ſi motiva fidei, vilitatem & imbecillitatem dæmonis ipſis explicaverit, de quibus abunde dictum p. 1. hujus Armamentarii.

3. Accedat Exorciſta etiam reliqua loca domûs, eáque aquâ benedictâ aſpergat, atque ubique præceptum expulſivum ſaltem conditionatum faciat, ut videlicet, ſi qui dæmonum etiamnum ſint præſentes, vel quamcunque habeant poteſtatem, illicò fugiant & recedant.

4. In loco principali gratiarum actionem deponat, atque has, vel ſimiles Orationes deprecativas ſubjungat, ut Deus ſua virtute, quod per Exorciſtam operatus eſt, perficere dignetur.

Ora-

## *Orationes facta expulſione diaboli ex loco infeſtato.*

℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini N 153

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Fiant aures tuæ intendentes.

℟. In vocem deprecationis meæ.

℣. Dominus ſit in loco iſto.

℟. Et cum omnibus habitantibus in eo.

℣. Domine Exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

INclina, quæſumus Domine, aures tuas ad preces noſtras, quibus te humiliter deprecamur, ut locum iſtum (vel domum iſtam) tua benedictione impleas, & efficias, ut in eo (vel in ea) ſit ſanitas, caſtitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, manſuetudo, plenitudo legis, confidentia in nomine tuo, & gratiarum actio tibi Deo trino, & uno: neque contra eum (vel contra eam) ampliùs prævalere poſſit teterrimus dæmon: nec poſſint habitatores ejus à dæmonum illuſionibus, præſtigiis; incantationibus, maleficiis, apparitionibus, infeſtationibus, ac vexationibus perturbari; ſed omnes ſentiant in eo (vel in ea) tuam omnipotentiam in hac ſacerdotali benedictione concurriſſe, qua poten-

ter eripiantur, liberentur, ac præſerventur ab omnibus diabolicis inſidiis, moleſtiis, atque nequitiis, & à quocunque malo mentis & corporis, Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

Viſita, quæſumus Domine, habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea longè repelle, Angeli tui ſancti habitent in ea, qui habitantes in pace cuſtodiant; & benedictio tua ſit ſuper nos ſemper.

Exaudi nos Domine ſancte Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris Sanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Deinde aſpergatur aquâ benedictâ; poſtea incenſo, (ſi adſit) thurificetur. Tandem Exorciſta domum, & omnes in ea habitantes genuflexos benedicat, dicens:

Benedictio Dei omnipotentis Patris † & Filii, † & Spiritûs † Sancti deſcendat ſuper hanc domum, & omnes habitantes in ea, & maneat ſemper. Amen.

*Quæ-*

# *Quæſtio ſecunda.*

## *De aliis veris modis & remediis pellendi ſpectra diabolica.*

DIco, præter dictum ſpectra diabolica pellendi modum, non deficiunt N. 154
alii, tam à Patribus, quàm ab experientia ipſa plurimùm recommendati. Tales autem ſunt ſequentes.

1. Vera & viva fides, quam bona comitantur opera, & mandatorum Dei obſervatio, de qua S. Antonius Abbas: *magna, dilectiſſimi, adverſus dæmonem arma ſunt vita ſincera, & intemerata in Deum fides.* Et dæmon ipſe Cypriano mago, poſteà Martyri Chriſti, confeſſus eſt, *ſe Chriſti fide munitis nocere non poſſe.*

2. Reliquiæ Sanctorum. Sic enim de ſe- N. 155
micinctiis & ſudariis D. Pauli adhuc viventis ſcribit S. Lucas in Actibus Apoſtolorum cap. 19. *virtutésque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita, ut etiam ſuper languidos deſerrentur à corpore ejus ſudaria, & ſemicinctia; & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.* Si ergò Reliquiæ Sanctornm fuerint decenter in loco infeſtato collocatæ, plurimùm contribuent ad ſpectra pellenda.

3. Valdè efficax remedium eſt ſignum N. 156
S. Crucis vel contra diabolum formatum

vel etiam apud ſe geſtatum : efficaciam hujus ſigni S. Crucis fuſius parte prima Armamentarii videre licet : aut ſi pluribus exemplis hanc catholicam veritatem confirmatam deſideres, vide Delrium, Caſparum Schottum, & alios.

4. Aqua benedicta præcipuè ad aver-
N.157 runcanda diabolica ſpectra, mox à primis Eccleſiæ Catholicæ temporibus in uſu fuit: Sic enim Joannes Diaconus in vita S. Gregorii meminit, monaſterium infeſtatum per aſperſionem aquæ benedictæ fuiſſe liberatum, De B. Theodoro Archimandrita teſtatum habetur, cùm in cujusdam Tribuni domo homines & animalia omnia à dæmonibus vexarentur, adeò, ut cùm domeſtici du prandèrent, aut cœnarent, lapides ſuper menſas jacerentur, & mulierum telæ rumperentur, & tanta ſerpentium ac murium multitudo domum occupàret, ut præ formidine eam nemo ingredi auderet; dictum Sanctum ingreſſum totam noctem pſallendo, & Deum deprecando traduxiſſe, *& aquâ, cui benedixerat, totam domum aſperſiſſe, eamque à Spiritibus immundis liberâſſe.*

N.158 5. Benedictio data cum Venerabili Evchariſtiæ Sacramento, vel ſola tantùm illius præſentia. Sic Franciſcus Lope Gomora apud Schottum teſtatur, dæmonum ludibria, & apparitiones apud Indos depelli potiſſimùm venerabilis Evchariſtiæ Sacra-

Sacramenti præſentiâ, Crucifixi imagine, & aquæ benedictæ aſperſione. Plura vide in diſq. mag. P. Delrio lib. 6. cap. 2. ſect. 3. q. 3.

6. Devota enuntiatio, & invocatio S.S. Nominum JEſu & Mariæ: plures enim à ſpectris undique circumdati, unica horum S.S. Nominum invocatione ſpectris ſubitò diſparentibus, ab omni nocumento ſunt liberati. Hiſtorias vide apud Schottum in Phyſica curioſa lib 1. cap. 3. N. 159

-7. Agnus DEI, aliæque res ab Eccleſia benedictæ. Narrat P. Delrio loc. priùs citat. Drepani dæmonem paredrium, ſeu familiarem per cereum Agnum Dei fuiſſe pulſum. Plura adducit Schottus lib. 2. cap. 51. ſ. 6. Quare cerei Agni Dei vel aliæ res benedictæ in locis à dæmone infeſtatis collocatæ, magnum ſunt contra dæmonum infeſtationes præſidium. N. 160

8. Bona eſt Oratio cum jejunio & eleemoſyna ad ſpectra diabolica depellenda. Sic Joannes Diaconus lib. 4. vitæ S. Gregorii cap. 93. ſcribit, dicti ſancti hortatu Litaniis recitatis, formidabile quoddam dæmonis quaſi cornuti ſpectrum, quod certo cuidam loco ita infeſtum erat, ut in eo commorari nullus poſſet, tandem fuiſſe abactum. Idem refert, oratione in fugam fuiſſe converſum ſpiritum nequam, qui in forma catti Religioſo viro non parùm fuit moleſtus. Omitto plura, & N. 161

hoc ſolùm innuo, efficaciſſimas fore preces contra ſpectra diabolica à Patrefamilias cum tota ſua familia in loco infeſtato recitatas, proùt jam ſuprà dictum.

## *Quæſtio tertia.*

## *Quomodo domus ſemel liberata, impoſterum à moleſtiis diabolicis præſervanda?*

DIco remedia domum ab omni infeſtatione diabolica liberatam impoſterùm præſervandi, ſunt potiſſimùm ſequentia.

1. Vera fides, & roborata fiducia, quòd
N162 DEus hanc domum, omnésque habitatores certò ſit ab omni vexatione diabolica protecturus.

2. Paterfamilias qualibet veſpera locum priùs infeſtatum aquâ benedictâ aſpergat ſimulque præceptum formet dæmonem, excludens: imò quilibet incola in ſuo loco privato, dicendo v. g. *In Nomine Domini noſtri JEſu Chriſti præcipio vobis dæmonibus omnibus & ſingulis, nè ullus veſtrûm ſive per ſe, ſive per ſagas me moleſtare præſumat, in Nomine † Patris, & † Filii, & Spiritûs † Sancti. Amen.* Juvabit pariter præfata verba ſcripta affigere portis & feneſtris domûs, ùt in p. 1. hujus Armamentarii jam dictum.

3. Si quem fortè tumultum percipiant

&,

& diabolicum eſſe ſuſpicentur, præceptum efforment, ut in Nomine JEſu dæmon illicò recedat.

4. Singulariter ad domum à diabolicis infeſtationibus præſervandam conducit, ſi Paterfamilias cum tota familia ſua in debitam gratiarum actionem, & ad divinum adjutorium ulteriùs impetrandum, per aliquot dies recitet Litanias Sanctorum omnium, aut Litanias B. Virginis, Roſarium, vel alias preces juxta piam loci conſuetudinem: hortetur pariter ſuos ſubditos ad fidem & fiduciam habendam, & vanum diaboli timorem excutiendum, ad Sacramenta piè & devotè frequentanda, & demùm ad vitam Chriſtianam, ab omnibus peccatis, præſertim gravibus immunem, ducendam: vitia quippè ſunt fumentum & pabulum vexationis diabolicæ.

Reliqua remedia præſervativa deſumi poterunt ex dictis p. 1. hujus Armamentarii cap. 6. q. 12.

## *Quæſtio quarta.*

## *Quomodo ſpectra magica, ſeu homines malefici tam homines, quàm habitationes hominum moleſtantes, ſint averruncanda.*

ADvert. Spectra magica in locis, maleficis hominibus refertis, eſſe vix non cæteris omnibus frequentiora. N.163

eáque tum hominibus, tum animalibus, tum etiam habitationibus eorum moleſtiſſima: introducuntur enim per dæmones in loca multis etiam repagulis occluſa, ubi homines & animalia vexant, verberant, impudicè tangunt, maleficiis inficiunt, tumultus excitant, vinum, aliiáque potabilia ebibunt, homines comprimunt, ut vix reſpirare queant, ubera ſugunt &c. de quibus ſuprà cap. 1. q. 3. plura. Unde, ut quivis ab iſtis moleſtiis ſe liberare valeat.

N 164 Dico 1. Modus facillimus ſeſe liberandi ab omnibus præfatis moleſtiis, eſt præceptum ſub veſperam, antequam quis ſomno indulgeat, in SS. Nomine JEſu factum, conformiter dictis q. præc. & p. 1. cap. 6. q. 12. ita tamen, ut expreſsè dæmoni prohibeatur, nè ullam ſagam vel maleficum introducere præſumat. Ita certa, & propria experientia me docuit: dum enim ſub annum 1724. à ſtrigibus tempore nocturno fuiſſem divexatus, tentavi varia: benedixi cellam, aſperſi ſtratum aquâ benedictâ, nil tamen profeci: tandem etiam præceptum faciendum incidit; quo facto ſalvus in tuto requievi: evocatus ſum tandem ad quandam perſonam energumenam, ex qua mox diabolus locutus dixit: *benè cella tua januam obſeráſti.* non aliâ certè ſerâ, quàm præceptô in Nomine JEſu factô. Porrò ſi tantæ hujus præ-

præcepti efficaciæ rationem petas, eandem abundè in p. 1. hujus Armamentarii cap. 1. q. 4. videre poteris.

Quinimò præceptum in SS. Nomine JEſu factum tantæ eſt efficaciæ, ut non ſolùm omnem dæmonibus ſagas in domum, vel quemcunque locum introducendi facultatem adimat, ſed etiam, ſi fortè ſaga, vel quicunque maleficus dæmonis auxilio jam in loco compareat, dæmone mox per præceptum rejecto, ſolus maleficus inermis remanere cogatur: non enim dubium, dæmonem ſemper eſſe præſentem maleficis, domos, earúmque habitatores moleſtantibus: ſi ergò dæmon per præceptum expellatur, ſolus ſine adjutorio diabolico maleficus aderit. N. 16

Hoc ipſum quondam probare volui: dum enim quidam noſtræ Provinciæ Antoniano-Bavaricæ Alumnus conquereretur, ſe tempore nocturno etiam perfectè vigilem plurimùm à peſſimis iſtis hominibus divexari; quin congruum poſſit invenire remedium, licèt ſumma devotione ſe Deo recommendet, aquâ luſtrali aſpergat, aliisque ſpiritualibus præmuniat: ſuaſi eidem, poſtquam prævio examine benè cognovi, hæc non ex apprehenſione aut naturali aliquo affectu evenire, ut mancipium diaboli capiat hôc ipsô remediô: paruit ille; &, cum Spectrum poſt triduum denuò tempore nocturno poſt matutinum in Choro

ro perſolutum, comparuiſſet, illicò præceptum formare volens dixit; *præcipio tibi dæmon in Nomine JEſu*, & ecce! illicò per maleficam perſonam in ore percuſſus præceptum finire nequivit: ſenſit nihilominus efficaciam SS. Nominis JEſu: comprehendens quippè digitum manûs ita fortiter compreſſit mancipium diabolicum, ut per ſpatium quinque circiter *Pater* & *Ave* ſe extricare nequiverit, licèt antea facillimè ſemper elabi potuerit: tandem poſt laborioſam extricationem comminatus ille certam comprehenſionem, ait: *En! beſtia maledicta, jam modum te capiendi calleo: quòd ſi vel ſemel adhuc comparueris, certiſſimè comprehendam.* Verùm magis providè ſibi conſulens, nunquam ampliùs comparuit.

N. 166 Denique, ut magis capiatur efficacia præcepti dæmonibus facti, benè perpendantur verba ipſius Reginæ cœlorum, B. V. Mariæ, quæ V. Matri Mariæ de JEſu Myſticæ Civitatis p. 2. lib. 3. cap. 28, n. 372. ſequentem tradidit doctrinam: *Filia, cautela illa, qua anima juxta proximè dicta neceſſaria eſt, nè ſe cum inviſibili hoſte diſſertationi exponat, non debet ita timida eſſe, ut non aliquando interpoſito Nomine, Authoritate, & Imperio Altiſſimi tacere eum, recedere, & erubeſcere jubeat: adeòque volo, ſi qua ferat occaſio, id facias, ſicque perſequentes te coërceas: neque enim adverſus nequitiam ferocis draconis validiora ſunt arma, quàm ſi hominis anima imperioſam ſe illi.*

*& ſu-*

*& ſuperiorem exhibeat.* Et eadem parte 2. lib. 5. cap. 16. num. 884. *Pari ratione conſtituo tibi, ut quo melius moribundos adjuves, ipſa dæmonia ab eisdem faceſcere imperio & juſſione tua cogas: atque hæc quidem virtus, & imperandi facultas in promptu tibi eſt, licèt infirmis non adſis; certè enim Dominus illis adeſt, in cuius nomine imperas, & ad cujus gloriam & honorem abigis.* Et tandem p. 3. lib. 8. cap. 3. ſic loquitur: *Confice bella Domini adversùs inimicos ejus; & in illius, ac meo etiam nomine orcinum caput contere, ſuperbiam eorum imperioſa coërce, & ad profunda præcipita. Sed & Chriſti Miniſtris, quibus loqui te contigerit, ſuade, idem ſciant, ut ita conceſſa ſibi poteſtate & viva fide animas tueantur, & in his etiam Domini honorem, & gloriam; ſic enim divina virtute dæmones opprimient: & expugnabunt.*

Dico 2. Arcentur pariter omnes maleſici per præceptum ſcriptum portæ domûs, atque feneſtris affixum. Ita conſtat ex parte 1. hujus Armamentarii cap. 1. q. 3. ubi de efficacia Exorciſmi ſcripti contra dæmones dictum fuit. Denique, cùm malefici ope dæmonum omnia præſtent, habeantque dæmonem ſemper ſibi præſentem, quidquid efficaciam habet ad arcendum dæmonem, habebit pariter efficaciam ad arcendos maleficos: licèt enim homines malefici per ſe non ita horreant SS. Nomen JEſu & Mariæ, neque alia ſpiritualia, quemadmodum illa horrent ſpectra diabolica: nihilominus cùm rejecto dæmone abſque N16

que omni adjutorio diabolico remaneant, illo expulſo & rejecto, ordinariè, ſaltem per accidens, etiam arceantur malefici.

## *Quæſtio quinta.*

### *De aliis modis ſpectra pellendi paſſim ab aliquibus uſitatis.*

QUæres 1. An convitiis & diris imprecationibus ſpectra pellantur? modum iſtum ſpectra pellendi apud homines, præſertim plebejos ac vulgares eſſe frequentiſſimum, nemo eſt, qui ignorat: ſic enim orationibus putant allici, & diris convitiis, imprecationibus & blaſphemiis pelli ſpectra. Sed

168 ℞. 1. Similibus iracundis convitiis, blaſphemiis &c. nullatenùs pelli ſpectra mala, ſed attrahi, non repelli, ſed allici. *Ratio* eſt, quia odio perpetuo contra Deum inflammata gaudent potius & delectantur de offenſa Dei, quàm ut illam fugiant, & horreant. Quòd ſi quandoque experientia docuit, ſpectra mala & diabolica ob ſimilia convitia & blaſphemias fugiſſe, id dolô peſſimô fecerunt, videlicet, ut homines ad hujusmodi remedium ſæpiùs adhibendum allicerent, atque in malo confirmarent. Sæpè nihilominus contigit talia ſpectra non tantùm non fugiſſe, ſed Deo permittente ejusmodi blaſphemantibus

bus collum intorſiſſe, ut multis exemplis probat Delrio diſq. mag. lib. 2. q. 27. ſect. 2.

℞. 2. Similibus convitiis, maledictis, N.169
ac blaſphemiis pelli ſpectra bona, ſeu animas fidelium in piacularibus flammis detentas; non ea quidem ratione, quaſi intrinſecam quandam haberent efficaciam ea pellendi, ſed quia Dei offenſam non ſufferentes ſponte fugiunt, & auxilium aliquod ſibi præſtandum diffidunt.

℞. 3. Convitiis honeſtis, atque ex bo- N.170
no fidei zelo prodeuntibus ſpectra diabolica pelli: nam ſpiritus illi ſuperbiâ tumidi & inflati, vilipenſionem fugiunt, & honorem quærunt. Optima porrò ſunt convitia illa, quæ ex S. Scriptura decerpta, divinam extollunt potentiam, & diaboli vires debiles, imò nullas aſſerunt: quæ divinam Majeſtatem honorant, & diabolo ſuam vilitatem exprobrant, quæ p. 1. cap. 6. q. 6. ſub nomine objurgationum ſunt deſcripta.

Q. 2. An gladiis, lanceis, aliiſque N171
armis ſpectra pellantur? Multi ad quæſitum ſine cunctatione affirmativè reſpondent, multiſque comprobant exemplis: ſic Michaël Pſellus libellô de dæmonibus éditô, prodigioſum factum ſibi eveniſſe narrat de fœmina cujusdam hominis ſenis puerpera; hæc partûs dolore laborans, linguâ armenicâ ſibi ſemper ignotâ locuta,

veſtes

veſtes laceravit, audaciſſimè ex lecto prorupit; aliáſque incepit inſolentias: verùm comparente armeno viro rugoſo, exuſto, & nigro, ſtrictô gladiô eidem mortem minitante, ſe immediatè recepit, compreſſit, contremuítque. unde deduxit, dæmones horrere gladios, & lanceas. Cujus potiſſima ratio, quia à Deo excæcati diſcernere nequeunt inter minitantem, an ſit homo purus' vel Angelus minitans. Hujus pariter mentis erat Paracelſus, ſolitus noctu conſurgere, & machæram ſuam Helveticam utraque manu in hoſtem inviſibilem huc illúcque torquere. Sequuntur etiam alii complures, & ſæpè milites cæteris animoſiores practicant. Unde directè ad quæſitum.

R. I. Nec ſpectra diabolica, nec animas damnatas, nec purgantes poſſe pelli, minùs lædi gladiis, lanceis, aliiſque armis. *Ratio* eſt, quia vel apparent in corporibus aëris, vel in corporibus ex ſepulchro reſumptis, quidquid dicatur, ſpectra ipſa utpotè purè ſpiritualia non læduntur: nam licèt corpora ipſa ſcindantur, dividantur, & transfodiantur, ſpiritus ipſi minimè læduntur, neque ullum ſentiunt dolorem: quinimò facili negotio corpora aſſumpta ab ictu præſervant, vel denuò redintegrant: ergò. Quare, ſi quandoque fugiant, id nullo timore perculſa, ſed ſpontaneè faciunt. Sed nec placere poteſt ratio Pſelli,

li, quam ſequitur P. Mengo in fuſte dæmonum: non enim dæmon adeò dementatus eſt, ut inter minitantes diſcernere nequeat, qui longè ſubtiliora diſcernit. Paracelſi factum reputat Delrio apud Schottum Phyſicæ curioſæ lib. 2. cap. 38. vel ferocientis furoris fuiſſe, vel ex pacto convento, ſic moleſtiarum inducias à dæmone paredrio ſeu familiari impetrare volentis.

Quin imò, licèt ex pluribus hiſtoriis N. 173
compertum habeatur, ſpectra hominum mortuorum impediri ab iterata comparitione, ſi effoſo tumulo caput cadaveri abſcindatur, vel inverſa facie in tumulo collocetur: nullam nihilominus efficacem rationem compertam habeo: vel enim dæmon hominis in peccato mortali defuncti corpus aſſumit, vel anima damnata, vel certè anima purganda: & nîl prorſus impedit, quin corpus inverſa facie tumulatum, vel omninò obtruncatum aſſumere queant.

℞. 2. Spectra magica, ſeu homines N. 174
maleficos ſæpè pelli, & lædi gladiis, aut aliis armis. Ita certa ſententia tum ex ratione, tum ab ipſa etiam experientia. *Ratio* eſt, quia ex dictis ſæpè, imò ùt plurimùm comparent in propriis corporibus, vel certè iis ſoporatis diabolus eorum nomine comparet, & mala infert, ita, ut phantaſtica imaginatione deluſi, ſe mala intuliſſe ſibi perſuadeant: ſed utrôque modô comparentes lædi poſſunt, nam ſi in pro-

prio corpore appareant, omnibus manifeſtum eſt, poſſe lædi, niſi diabolus ictum impediat, quod tamen ordinariè nec facit, nec facere poteſt, ſi arma ſint benedicta: Si verò diabolus eorum nomine compareat, tunc corpore à dæmone aſſumpto, læſo, ipſe dæmon maleficum lædit, vel mutilat. Sic in Malleo Malefic. habetur, tres ſagas propè Argentoratum formâ trium ingentium ſelium agricolam adortas eſſe: hoc pro poſſibili ſe defendente, vulneribus ſauciatæ depulſæ ſunt: mox tamen mulieres decumbentes, graviter vulneratæ repertæ fuerunt: cùm verò vulnera ulturæ eum coram Judice accuſâſſent, is Judici horam & locum indicavit, quo ipſum feles appetiverunt, & quo eas læſas à ſe repulerat. Alium mirabilem caſum enarrat Delrio, & ex ipſo P. Caſparus Schottus in Phyſica curioſa lib. 1. cap. 26. §. 6. de quadam hoſpita diabolicis præſtigiis navem nautæ cujusdam tantâ efficaciâ in littore retinente, ut nulla vi dimoveri potuerit: oneribus tandem ex navi ſublatis, in ſentina ingens buſo ſcintillantibus oculis præſentes intuens, repertus, ac gladii cuſpide in gutture perforatus, in aquam dejectus eſt: ille quaſi exanimis in tergum provolvitur ventre reſupinato, atque per aquam deportatus, alia adhuc recepit vulnera, & repentè navis ſoluta eſt. Nauta regreſſus in hoſpitium, ut ſe adjuvantibus promiſſum

daret bibale, reperit hoſpitam in gutture transfixam, aliíſque vulneribus ſauciatam, graviſſimè in lecto decumbere, & poſt mediam circiter horam expirare miſerrimè. Plures ſimillimi caſus frequentiſſimi ſunt, & uti facilè ominari licet, cuilibet notiſſimi, ubi ſagæ vulneratæ, vel omninò occiſæ ſunt, haud dubiè vel immediatè per gladium ipſum, ſi in proprio corpore comparuerunt, vel per ipſum diabolum, ſi is alio corpore aſſumpto ad earum imperium moleſtias intulit.

Porrò, ſi de licititate talis mutilationis N. 175
quæras, ea ordinariè videtur licita, utpote cùm ordinariè neſciatur ſtatus & conditio infeſtationis, ſimúlque defenſionem ſui contra iniquum aggreſſorem omnia jura permittant. Quòd ſi verò ſciretur adeſſe dæmonem hac conditione aggredientem, & infeſtantem, ut ipſo imaginariè læſo, etiam ſaga vulneretur, vel omninò occidatur, probabiliùs mutilatio illicita erit: ſicut enim illicita, & ſuperſtitioſa eſt verberatio lactis, alteriúſque rei, ea intentione facta, ut dæmon maleficum lædat, ita percuſſio corporis phantaſtici ea intentione facta: ut dæmon interim maleficum lædat, illicita, & ſuperſtitioſa erit reputanda. Quare longè alia defenſio uſurpanda eſſet ad dæmonem repellendum, videlicet præceptum in SS. Nomine JEſu factum, de quo ſæpiſſimè in progreſſu dictum.

Q. 3. An lumine accenſo, vel oſtiis
N176 obſeratis ſpectra arceantur? ℞. Nec lumen accenſum, & non benedictum, nec oſtia obſerata, arcent ſpectra. *Ratio* eſt, quia nec naturalem, nec ſupernaturalem vim & virtutem fugandi habent, cùm de nulla nec ex ſcriptura, nec ex Patribus conſtet. Oſtia obſerata pariter non obſtant, cùm illa perfectiſſimè reſerare ſciant; imò etiam oſtiô occluſô, poſſunt ſibi formare corpora intra oſtium, & ita excitare tumultus, vel etiam ſine corporibus excitare ſtrepitus, aut alias incipere inſolentias. De lumine benedicto haud dubiè contrarium eſt dicendum: ſicut enim reliqua ſacramentalia, & ab Eccleſia benedicta magnam contra ſpectra virtutem habent, ita & lumen benedictum.

N177 Q. 4. An odoribus quibusdam, herbis, & ſuffimentis purè naturalibus loca à ſpectris infeſtata liberentur? ℞. Negativè cum Thyræo de dæmoniacis P. 3. Cap. 42, Schotto in Phyſica curioſa, & aliis. Ratio eſt manifeſta; quia odores & ſuffimenta ſolum olfactum afficiunt: quidquid ergò potentiâ caret olfactivâ, hiſce nec affici, nec pelli poteſt. Quare eandem ob cauſam, qua odores & ſuffimenta, rejicimus pariter (Salvô aliorum Judiciô) herbas quasdam non benedictas, quas in ſe ipſis quidam dæmoniacis ſpiritibus intolerabiles cenſent, quales ſunt Artimi-

timiſia rubea, Barba Jovis, Solſequium, Leviſticus, Salvia, Polegium, folia Sambuci &c. Ratio eſt, quia hæc omnia merè corporea ſunt, atque adeò ſpiritibus pellendis improportionata.

Dices. ſupra Cap. 4. Q. 2. Concl. 1. N 178 Pharmacis naturalibus vis aliqua ſaltem indirecta & inchoata contra dæmones eſt conceſſa: ergò impræſentiarum fruſtra negatur, 2. plures teſtantur Auctores apud Toſtatum Abulenſem in 2. Reg. Cap. 6. Q. 43. ſuffimentis quibusdam dæmones allici, quibusdam pelli; imò hoc experientia ipſa teſtatur, qua conſtat, herbas, odores, & ſuffimenta quædam dæmonibus eſſe plurimùm contraria, nec cuiquam patere acceſſum, ubi ſimilia fuerint collocata: ſic patet, ſorbum vulgò Elßbirlein tam ſagis, quàm dæmonibus eſſe adverſum.

℞. Ad 1. Neg. Conſq. non enim eadem ratio eſt dæmonum humana corpora poſſidentium, & domos aliáve loca infeſtantium, dæmones ſiquidem corpora vexant magis vel minùs ſecundum qualitates & majores vel minores diſpoſitiones patientis: quòd ſi ergò per pharmaca naturalia ſimiliter fuerint expulſæ diſpoſitiones, etiam vexatio diabolica erit alleviata: econtra dæmones non infeſtant loca dependenter à naturalibus diſpoſitionibus & pravis humoribus ergò.

Ad 2dum dico, fidem manere penes illos Authores ſuam ſententiam nec ratione, nec authoritate cujusdam concilii vel Sancti Patris ſtabilientes: quin imò plures eorum in falſo fundantur ſuppoſito, quaſi dæmones corpora haberent; undè mirum non eſt, quòd & ſenſus, & corporeas delectationes vel averſiones eis concedant. Cùm verò ex communiſſima & certa Theologorum ſententia purè ſpirituales ſint, nulla materialium virtute pelli vel allici poſſunt: certè ſicut ex communi Philoſophorum materiale non agit in ſpirituale, ita neque ſimilia odoramenta & ſuffimigia in dæmones ceu purè ſpirituales agere poſſunt.

## *Quæſtio ſexta.*

## *Quomodo ſpectra animarum damnatarum ſint ex domibus, aliisve locis expellenda?*

N179 ADvert. nullum prudens poſſe ſubeſſe dubium, dari in Eccleſia Sancta Dei quosdam modos loca non tantùm á ſpectris dæmoniacis, ſed animarum etiam damnatarum infeſtata expurgandi: cùm enim benè conſtitutæ reipublicæ apprimè ſit neceſſarium ſe poſſe tueri adverſus hoſtes ſibi infenſos, & moleſtos, id Eccleſiæ ſanctæ Dei ceu Reipublicæ optimè à Chriſto Domino conſtitutæ,

tæ, atque ſupra firmam petram fundatæ denegatum dici nequit. Certæ animæ damnatæ non rarò æquè moleſtant, quàm dæmones ipſi: conſequenter neque arma easdem expugnandi, ſeque ab earum moleſtiis liberandi deeſſe poterunt. Sola quæſtio eſt, quænam arma illa; quinam clypei ſe ab earum tyrannide præſervandi? neque enim Exorciſmi Eccleſiæ hunc in finem utiles eſſe cenſentur, utpote, cùm ad ſolos ejiciendos dæmones dirigantur. Minùs ipſis prodeſſe poſſunt ſuffragia, quibus purgandæ juvantur animæ; cùm non ſint in loco liberationis, ſed in loco, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Denique neque gladiis, fuſtibus, blaſphemiis, aliisque ſimilibus arcentur, prout ex ſuprà dictis Cap. 6. q 5. ſatis claret. Quare ℞. &

Dico: Animæ damnatæ iisdem prorſus mediis proſcribuntur, quibus ſpectra N. 180
dæmoniaca ex locis infeſtatis, dumodo Exorciſmus, aliáque ad ipſas ſolas diriguntur. Ita Thyræus de dæmoniacis P. 3. cap. 85. Schottus in Phyſica curioſa lib. 2. cap. 43. Ratio hujus petitur ex ſcriptura Lucæ 10. ℣. 19. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.* ſub virtute autem inimici vel maximè animæ damnatæ videntur comprehenſæ; cùm revera hominibus adverſentur. Præterea animæ damnatæ non

minùs ſpiritus mali ſunt, quàm dæmones: ergò iisdem ſpiritualibus armis debellandæ. Quare quæcunque ſupra q. 1. contra ſpectra diabolica ſunt præſcripta, pariformiter contra animas damnatas ſunt uſurpanda.

Neque tamen ulla ratione probabilis videtur vulgi ſenſus, putantis, Exorciſtas animas damnatas poſſe mittere in loca deſerta, & lacunoſa: cùm enim eisdem hæc virtus contra dæmones non ſit conceſſa, ùt in prima parte diximus, nec conceſſa dici debet contra animas damnatas.

## *Quæſtio ſeptima.*

### *Quo modo, quibúsve mediis animæ piacularibus flammis detentæ liberentur?*

ADvert. Quando ignoratur conditio ſpectrorum infeſtantium, diabolicáne ſint, an humana, anima bona, vel mala; non illicò Exorciſmos expulſivos adhibendos, nec illa remedia, quæ contra diabolica ſtatuimus, uſurpanda: illa ſiquidem nullam vim vel efficaciam habent contra ſpiritus hominum purgandorum. Sed benè ſigna dignoſcitiva perpendantur, ex quibus, ſi nil certi haberi poteſt, ſequentia ſervet Exorciſta.

N. 181 *Primò.* Præmiſsîs orationibûs, jejuniîs, ſacrificiô Miſſæ, adhibitîs etiam cereîs ſacrîs

crîs, Agnô DEI, aquâ luſtralî &c. locum infeſtatum accedat.

*Secundò*. Recitatîs de more Litaniîs Sanctorum omnium, in loco principali, vel maximè aliàs infeſtato, capite cooperto ſedeat, atque imprimis præceptum probativum formet contra dæmonem, quo præſens, & fortè nequiter ſe animam purgandam ſimulans, ſigna ſuæ præſentiæ oſtendere cogatur, excitando de more tumultus, clamores, aliáve priùs excitata: quibûs habitîs ſecundùm dicta ſuperiùs hoc cap. quæſt. 1. procedendum erit. Quòd ſi verô nullum præſentiæ diabolicæ percipiatur ſignum, præceptum probativum formet contra animam damnatam, conformiter dictis quæſt. præcedenti: atque ſi denuò nullum percipiatur ſignum, ulteriùs

*Tertiò* obſervet modum obſervatum à P. Joanne Godi Ord. Prædic. prout habetur in prima Decade quæſtionum peregrinarum q. 2. cap. 4. Is enim vocatus in quandam domum, in qua anima purgatorii pœnas debitas luebat, poſt crepuſculum veſpertinum cum ſociis officium defunctorum recitabat: pòſt ſtrepitu exurgente ita orſus eſt: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti adjuro te creatura DEI, per Potentiam DEI infinitam, per Ejus Sapientiam ineffabilem, per Ejus Bonitatem indicibilem, per virtutem SS. Tri-

nitatis, quibus omnia creavit, per myſterium ſanctæ Incarnationis, Paſſionis, & Reſurrectionis Domini noſtri JEſu Chriſti, per virtutem omnium Ordinum Sanctorum Angelorum, & per omne illud, quod DEI virtute te poteſt plùs adſtringere, conſtringo & adſtringo, ne recedas de loco, ſed ad ea, de quibus te interrogavero, veraciter reſpondeas.

Omnium ergò primò quæſivit, an eſſet ſpiritus bonus, vel malus? quis eſſet? quid vellet? quibus cognitis illam animam dimiſit, & pro illa, quæ petebat, facienda demandavit, & ampliùs nulla infeſtatio eſt animadverſa.

N. 182 Cæterùm, cùm animæ purgandæ tamdiu ex piacularibus pœnis evadere nequeant, quousque plenariè pro peccatis ſatis paſſæ, aut certè ab alio vivente fuerint adjutæ, optimi modi, qui contra moleſtias ſpirituum purgandorum valere dignoſcuntur, ſunt ſacrificia miſſæ: Orationes, indulgentiæ ipſis per modum ſuffragii applicatæ, Eleemoſynæ pro defunctis datæ, jejunium, alieni reſtitutio, peregrinationes, aliarumque virtutum actus, de quibus latè videri poteſt Petrus Thyræus de dæmoniacis cap. 74. & ſeqq. & Caſparus Schottus in Phyſica curioſa lib. 2. cap. 62.

N. 183 Alium in ſubſtantia tamen non abſimilem modum præſcribit Magiſter Henricus de Haſſia, ſequentis tenoris: Primò convocen-

vocentur Presbyteri pii ac devoti, qui ad locum infeſtatum humili mente, rectáque intentione accedentes ſecum aſſumant accenſam candelam in die Purificationis benedictam, aquam luſtralem, & ſignum Crucis. In accedendo verò orent ſeptem Pſalmos Pœnitentiales.

Secundò locum ingreſſi genua flectant, atque unus eorum ſequentem recitet orationem:

Domine JEſu Chriſte, omnium ſecretorum cognitor, qui ſemper tuis fidelibus, & parvulis revelare ſalubria & utilia conſueviſti, quique in hoc loco ſpiritum quemdam ſe oſtendere permiſiſti: humiliter obſecramus tuam piiſſimam Miſericordiam, per Paſſionem tuam, & per pretioſiſſimi Sanguinis tui pro peccatis noſtris effuſionem, ut digneris præcipere huic ſpiritui, ut ſine terrore & læſione noſtra, aliorúmque, ſe revelet, ſignaturus nobis famulis tuis, aut aliis, quis ſit, vel cur venerit, quidve deſideret, ut tu inde honorari valeas, & ipſe, ſi poſſibile ſit, conſolari, & fideles tui inde ſublevari. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen.

3tiò. Poſt hæc ad interrogatoria eſt deveniendum dicendo:

Obſecramus per Chriſtum JEſum te Spiritus, ut dicas, quis ſis, & ſi eſt aliquis inter nos, cui velis reſpondere, tu

verò

verò per ſignum eum determines: eſtne iſte, vel ille? compertum ſiquidem eſt, ſpiritus non cuilibet reſpondere.

4tò. Quòdſi per aliquod ſignum, pulſum, ſonum, aliúdve notorium ad cujusdam nominationem perceperint, illi committantur interrogatoria, qui ſequentia quærat: cujus hominis anima fuerit, & propter quid venerit? quid deſideret? utrum ſuffragia, Miſſas, aut eleemoſynas petat? quot Miſſas, aut quales eleemoſynas, quibúsve perſonis diſtribuendas? denique quod ſignum ſuæ liberationis perfectæ futurum ſit, & propter quam cauſam igni purgatorio deputata fuerit?

Quòdſi verò ſpiritus ad interrogata reſpondere noluerit; totum in aliud commodius tempus differendum erit: quia occulto DEI judicio certis horis, certisque duntaxat perſonis ſe revelant. Quare etiam ſimilia interrogatoria iis potiſſimum temporibus facienda ſunt, quibus animæ comparere conſueverunt.

Alii Schedulas ſcribunt diverſarum virtutum, Miſſæ Sacrificiorum, reſtitutionum, putantes animam eo pietatis opere liberandam, quod in ſcheda fuerat deſignatum, & reliquis intactis loco motum. Veruntamen res plena eſt deceptionis periculo: etenim ſæpè dæmones apparent dicentes ſe animas eſſe piacularibus flammis detentas, reſtitutionem rerum malè abla-

ablatarum, eleemoſynas, imò ipſa Miſſæ ſacrificia fieri curant, ad ſpeciem optima conſulunt prout plures ex Thyræo & Caſparo Schotto hiſtoriæ referri poſſent. Quare, niſi anima SS. Nomen JEſu invocet, aliúdve faciat ſolis animabus purgantibus competens, vix anima, ſed diabolus credi debet. Sed

Quæres, quid de apparitionibus ex pacto in vita inito factis dicendum? ℞. Cum N 184
P. Delrio lib. 2. Diſq. mag. q. 26. ſect. 7. Caſparo Schotto in Phyſica curioſa in appendice ad librum ſecundum de mirabilibus ſpectrorum cap. 1. hoc ſatìs eſſe periculoſum, ne diabolus more ſuo aliquod figmentum adducat: conſequenter videat talis, ne comminationi univerſali ſe exponat: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Veruntamen, ſi pactum ineat conditionatum, ſi DEO placeat, ad ſalutem animæ conducat, atque debitæ apponantur conditiones, ne dæmon cuiquam illudere queat, per ſe loquendo non videtur illicitum: id enim practicavit beata Lutgardis apud Cantipratenſem lib. 2, vitæ Lutgardis, id alii viri pii ſimul, ac docti. Conditiones verò omnem deluſionem devitantes videntur, ſi anima clara voce JEſum ſibi propitium fieri, invocet, aut aliàs aliquam actionem ex objecto piam & devotam faciat. Prudentia nihilominus maxima neceſſaria eſt; cùm diabolus velut ſimia ſancti‑

ctitatis ſua ementita pietate animam hominis peſſimi ſanctam deprædicare, vel ceu vulpes aſtutiſſima animam aliàs piiſſimam barathro infernali abſorptam dicere queat: quare cautè, imò cautiſſimè procedendum: dæmon enim ſimul aſtutiſſimus, ſimulque pater mendaciorum eum facilè decipit, qui ſuæ prudentiæ, vel exiſtimatæ ſanctitati confidit.

## *Quæſtio octava.*

### *Quomodo dæmones annulo, vitro, aut alicui vaſculo incluſi ſint tractandi?*

N.185 PLures magicis artibus dediti firmiter ſibi perſuaſum habent, dæmones in phialis, annulis, aut aliis vaſculis poſſe conſtringi, & includi, ſed falluntur graviſſimè: nullum enim eſt imperium magorum in dæmones, utpote naturâ ſublimiores, potentiâ fortiores, ita ut nulla eis poteſtas ſuper terram valeat comparari: contingit nihilominus non infrequenter, dæmones ad voluntatem magorum, vel ſponte ſua, vel ex coactione ſuperiorum ac potentiorum includi fragili vitro, vel cryſtallo, atque mira operari: jam enim abſtruſa detegunt, procul diſſita manifeſtant, futura enuntiant, & tantùm non oracula fundunt: jam pecunias

nias in uſum duntaxat peſſimum afferunt, jam miras exhibent geſticulationes &c. ſed quo animo? *ſimulat ſe captum* (inquit Henricus de Haſſia in Geneſ. apud Delrium lib. 2. diſq. mag. q. 30. ſect. 2.) *ut te capiat; ſe vinctum, ut te vinciat; ſe tuo imperio ſubditum, ut te ſibi ſubdat; à te incluſum, ut contrà te finaliter concludat. Fingit ſe tua arte vel imagini vel lapidi alligatum, ut funibus peccatorum religatum ad infernum te perducat.*

Quarè, cùm ſatìs moleſtè ad vitia diverſiſſima impellant, atque inobedientes tyrannicè coërceant; contingit quandoque ut homines eosdem incluſos habentes ſeſe eorum moleſtiâ liberare volentes unà cum vaſculo eosdem in ignem vel aquam projiciant: ſed incaſſum; ſemper enim ad dominum priſtinum revertuntur, tractántque duriùs, quàm tractaverint unquam. Conqueruntur ergò, atque ad ipſos animarum Paſtores, & Confeſſarios pro ſublevamine recurrunt: quid ergo conſilii? quomodo tractandi? ℞. Et

Dico, dæmones incluſos non aliter N. 186
tractandos, quàm in corporibus humanis, vel domibus exiſtentes. Ratio clara eſt; quia eadem ſuper dæmones incluſos in ordine Exorciſtatûs à DEO & ab Eccleſia Exorciſtis tradita eſt poteſtas, quæ ſuper dæmones homines poſſidentes, vel domos infeſtantes: ergo eadem poteſtate procedendum. Quare, ſi quis fortè dæmonem

monem incluſum habens coram Confeſſario compareat, ſequentia ſerventur.

Primò jubeat Confeſſarius doloroſam deponere confeſſionem, S. Synaxi tanquam præſentiſſimo ſimul ac efficaciſſimo contra dæmonum inſultus remedio refici, actus deteſtationis contra dæmonem præſentem elicere, eíque totaliter abrenuntiare; DEum verò ter Optimum Maximum humili mente pro remiſſione peccatorum, atque auxilio dæmonis fraudes impoſterum devitandi præſtando invocare.

Secundò jubeat dæmonem incluſum ſibi extradi cum certa fiducia, eundem haud ampliùs more ſolito reverſurum, dummodo bonis operibus jugiter intentus, conſtans in fide fortiter reſiſtat, atque à peccatis, præſertim gravibus, ſibi caveat.

Tertiò moneat eundem, ne impoſterùm diabolicis attendat ſuggeſtionibus, néve timeat, ſi fortè ſub quacunque forma vel figura ſibi appareat, atque verbera aut mortem ipſam minitetur; quin potiùs per præceptum in SS. Nomine JEſu factum illicò á ſe repellat.

Quartò confeſſarius poſt diſceſſum alterius DEum præprimis humilibus precibus pro adjutorio præſtando interpellet, dæmonémque non nugis & inanibus geſticulationibus, ſed modo Judicem ſpiritualem

tualem condecente deteſtetur, & objurget: denique Vaſculo, in quo dæmon incluſus ſervatur, coram ſe quaſi pro tribunali ſedente, collocato, præceptum ſequens expulſivum formet:

## *Exorciſmus ad dæmonem annulo incluſum expellendum.*

CONtra te maledicte dæmon, rebellis N.187
Creatori tuo, & Creatori meo, apóſtata à DEO tuo, & DEO meo, qui quaſi captivus, homines captivare & æternùm perdere intendis, conſtitutus ſum Ego N. Miniſter Chriſti & Eccleſiæ: ideo auctoritate & poteſtate accepta in Ordine Exorciſtatus tibi præprimis in Virtute S. Trinitatis, & in Nomine Domini noſtri JEſu Chriſti præcipio, ne in diſceſſu tuo nec minimum mihi, nec aliis, aut quibuscunque rebus nocumentum inferre præſumas, neque minimum excites, vel poſt te fœtorem relinquas. Eadem authoritate & poteſtate in Nomine Domini noſtri JEſu Chriſti tibi præcipio, ut totaliter recedas, & fugias, nec imposterum ullam ampliùs habeas

poteſtatem revertendi ad Creaturam illam, quæ te mihi tradidit, nec eam quocunque modo moleſtandi vel vexandi. Fuge ergò & recede ſpiritus immunde, & apoſtatice: ſic enim impero tibi in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

Poterit Exorciſta ſedens ad ultimum præceptum, cùm dicit: *fuge ergò & recede &c.* in opprobrium dæmonis vaſculum confringere, & pedibus conculcare, atque fragmenta igne priùs benedicto comburere.

## *Epilogus.*

N. 188 SEd en, optime Exorciſta! ea mente tibi addictiſſima totum armamentarium Eccleſiaſticum finio, quâ ſinceriſſimâ inchoavi: tu arma ſelige, cum jucunditate præliare prælia Domini: licèt enim magna potentia dæmonum, licèt fortes eorum inſultus, licèt multos ſub eorum vexillo militantes adverſarios habeas, major nihilominus, & infinities major potentia Capitis, Ducis, & Anteſignani tui: DEus eſt Omnipotens, & quis reſiſtet? DEus eſt infininitè miſericors, & quis auxilium deſperet? Audi ipſam Cœli Reginam Myſticæ Civitatis parte 3. lib. 8. cap. 7. n. 532. apud V. Matrem Mariæ de Jeſu te alloquentem: *Quamobrem accingi te volo, & Divinæ gratiæ*

*favore*

*ſavore diſponi, neque draconis potentiam admirari, neque tuam te miſeriam arctari oportet. Nôſti enim luciferi adversùs me unam furorem longè fuiſſe majorem, quàm adversùs quamlibet aliam, imò omnes puras creaturas ſimul; quem, cùm tamen gloriosè devicerim, Domini virtute obarmata, tu profectò eâdem armaturâ præmunitus frontem ei tenere, & reſiſtere poteris. Neque refert debilem adeò te eſſe, & qualitatibus illis, quibus tibi opus eſſe videtur, deſtitutum: ſcire enim te velim, Diviniſſimum Filium meum modò eſſe quaſi Regem aliquem, cui milites deſunt, & ſubditi: quare promiſcuè omnes admittit, quicunque militiæ ſuæ nomen dare geſtiunt. Tu ergò animum erige, ut Satanam vincas in eo, quod tuum eſt; poſtmodum verò Dominus ad acriores pugnas te armabit. Notum autem tibi hîc denique facio, Eccleſiam nunquam ad extrema tam flebilia, in quibus hodie conſtitutam vides, fuiſſe deducendam, ſi in ea plures fuiſſent animæ, quæ cauſam & honorem DEI defendendum in ſe ſuſcepiſſent: ſed enim ſola jam admodum & ab ipſis filiis ſuis, quos enutrivit, planè derelictiſſima, & contempta eſt ſancta Eccleſia.* Hæc tibi dicta recogita, & vale.

# Appendix.

## Variarum Benedictionum tum pro maleficiatis, tum aliis etiam infirmitatibus naturalibus curandis.

HAud ingratum me Benevolis Lectoribus futurum arbitror, ſi Armamentario Eccleſiaſtico quaſdam Benedictiones ſubnexuero: plura quippe de efficacia rerum ab Eccleſia benedictarum dicta, etiam Benedictiones communiores ſaltem in compendio conſcriptas, expoſcunt, nè à quibusdam ob defectum aliorum fortè librorum munus Exorciſticum ſummè aliàs meritorium negligatur, aut certè, nè Exorciſtæ in iis conquirendis tædiô afficiantur. Priùs tamen ad Benedictiones ritè faciendas breviter quædam documenta neceſſariò præmittenda videntur, ut eò certiùs felicem ſortiantur effectum. Quare.

*Primò*, Benedicturus aliquem hominem, vel rem benedictam ei præbens, recogitet, confidentiam in DEum, atque robo-

roboratam fiduciam tantæ eſſe virtutis, ut cunctas ægritudines expellat, ac morbos ſanet: ſic enim Marci 16. appromiſit Chriſtus: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: - - ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt.* *Quibus verbis*, ait Alphonſus à Caſtro, verb. *Exorciſmus*, *Chriſtus promiſit, ſe nunquam illorum invocationi defuturum, qui Nomen ipſius invocaverint.* Et Joan. 14. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet.* Quinimò parte prima Armamentarii cap. 3. q. 3. jam probavimus, perfectam in DEum fiduciam homines, ſano in ſenſu, facere velut omnipotentes, ita, ut quidquid petierint, obtineant.

*Secundò*, perfectam fidem ac fiduciam requiri nedum in curante, ſed etiam in eo, qui curandus eſt: ſic enim in toto Evangelio ſemper legitur, Chriſtum volentem curare quemquam, fidem exegiſſe, prout Matth. 9. duobus cæcis dixit: *Creditis, quia hoc poſſum facere vobis?* Et mox: *ſecundùm fidem veſtram fiat vobis.* Sic pariter aliàs effectum ſanitatis fidei attribuit, dicens: *fides tua te ſalvam fecit.* Quinimò ordinariè vix legitur, Chriſtum curâſſe quemquam, niſi fide ipſius præcedente: non ergo mirum, ſi Sacerdotes, aliique Eccleſiæ Miniſtri eandem ſimiliter exigant.

*Tertiò*, cùm parvuli incapaces ſint eliciendi actus fidei & fiduciæ, parentes, alióſve, quorum curæ ſubſunt, defectum debere

ſupplere : ita quippe fides chananææ ſupplevit pro filia à diabolo poſſeſſa, Matth. 15. v. 22. Fides Patris illius lunatici pro filio, Matth. 17. Fides Centurionis pro ſuo ſervo ægroto, Matth. 8. v. 13. ſic & alibi. Licèt enim nemo alterius meritis juſtificari poſſit, aliena tamen fide temporalem ſalutem recipere poteſt.

*Quartò.* Fidem & fiduciam illam debere eſſe ſine ulla hæſitatione, ita, ut ægrotus volens ſanitatem conſequi, debeat *primò* credere, quòd Deus poſſit eum liberare ab infirmitate. *Secundò*, quòd ratione fidelitatis in omnibus promiſſis ſuis (ſi ſanitas ſit ſaluti animæ profutura) illi infallibiliter ſit conceſſurus ſanitatem. Hoc enim clarè patet ex Epiſtola Catholica Jacobi Apoſtoli cap. 1. v. 6. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* Et mox : *non ergò æſtimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Deo.*

*Quintò.* Cùm Benedictiones Eccleſiæ non ex opere operato, ſed ex opere duntaxat operantis ſuum producant effectum, neceſſe eſt, ut Sacerdos benedicturus, fidei conſcientiæ puritatem pariter conjungat : nam *Deus peccatores non audit, ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit* Joan. 9. v. 31. Quare magna eſt diſparitas inter benedictiones puras, & Exorciſmos etiam ad deſtruenda maleficia factos: Exorciſmi quippe in perſona Chriſti facti ex opere operato producunt effectum, ut

parte

parte 1ma, cap. 1. q. 4. dictum : non ſic Benedictiones.

*Sextò*. Licèt ordinarius exorcizandi, modus ſit ſedendô exorcizare quemquam benedictiones nihilominus ſtandô, & manus ſupra infirmos ponendô, dandæ ſunt, conformiter verbis Chriſti Marc. 16. *Super ægrotos manus imponent, & benè habebunt*. Porrò ratio diſpar, cur Exorciſmi ſedendô, benedictiones ſtandô, dandæ ſint, hæc potiſſima eſt, quòd Exorciſmi fiant ab Exorciſta ceu Judice in Perſona Chriſti aliquid præcipiente dæmoni : Econtra Benedictiones tantùm deprecativè ; Licèt enim Chriſtus Luc. 4. v. 39. imperaverit febri, ut dimitteret ſocrum Petri ; id tamen fecit quà Dominus vitæ, & mortis poteſtatem habens : Cùm ergò Sacerdotes tanta poteſtate careant, non imperandô, ſed Deum deprecandô procedant.

Quare univerſaliter, & pro ſemper obſervandum cenſeo, quòd Sacerdos benedicturus hominem, pecus, ſtabulum, aut aliud maleficiô infectum, ſimplici Benedictione deprecativa nunquam contentus eſſe, ſed juxta poteſtatem ſibi in ordine Exorciſtatûs traditam, etiam præceptum contra dæmonem formare debeat, ſaltem in fine Benedictionis deprecativæ ſubjungendo v. g.

*Et ego N. quà Miniſter Chriſti, & Eccleſiæ, tibi dæmon, vel ſi plures eſtis, vobis dæmonibus in*

*Nomine Domini noſtri JEſu Chriſti pracipio, ut omne maleficium factum illicò tollatis, ac unà cum omnibus veſtris facibus recedatis, & nunquam reverti præſumatis: ita jubeo, & pracipio in Nomine Patris † & Filii † & Spiritûs † Sancti. Amen.*

Hæc ſunt potiſſima documenta; quibus ſervatis facilè diverſæ infirmitates, naturales etiam ſæpè absque medicina corporali curantur, prout optimè inter alios plurimos SS. Patres docet S. Macarius Ægyptiacus Hom. 48. apud R. P. Joan. Baptiſt. Sanit. Jure, *de Regulis & votis ſtatûs Religioſi*, articul. 8. *de Paupert.* ubi admonet ſuos Monachos in infirmitatibus etiam naturalibus non in Medicinis temporalibus, ſed ſpiritualibus habere confidentiam, & ait: *Si rectè credidiſſetis, Jeſum Chriſtum vulneribus & infirmitatibus animæ poſſe mederi, credidiſſetis pariter, Eundem habere poteſtatem medendi infirmitatibus corporalibus: atque in fide illa, infirmitate quadam laborantes, unicum refugium ad illum habuiſſetis minimè ſolliciti de Medicis, eorundémque medicinis: ſi enim poteſtatem habeat periculoſiſſimis, & fermè incurabilibus vulneribus, qualia ſunt vulnera animœ, medendi, pariter poteſtatem habebit curandi vulnera corporalia, utpote longè minora. Sed objicies: cùm Deus radicibus & herbis terræ virtutem dederit noſtras curandi infirmitates, Medicis etiam ſcientiam nobis ſubveniendi, Eum pariter velle, nos neceſſitate cogente ad illos recurſum habere. Ita eſt,*

*eſt, fateor: ſed conſidera, pro quibusnam homini-bus Deus ſimilia creaverit: pro ſolis enim infide-libus ipſum non agnoſcentibus, illiſque ſæcularibus, Chriſtianis, quibus animus deficit, ſe cacè quaſi modô illius divinæ Providentiæ committendi, hæc creata ſunt: Verùm tu mi Religioſe, qui longè alio fœdere Deo conjunctus es, qui Dei Filius ad-optivus es, & longè altioris ſpiritûs eſſe deſideras, longè etiam vivacioris, & majoris fidei altiorúm-que cogitationum eſſe deberes.* Hæc Sanctus, ſanctè imitandus. Quare ſequitur

## Oratio præparatoria ante quamcunque Benedictionem pro opportunitate temporis recitanda.

℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Do-mini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis præ cæteris tantam gra-tiam contuliſti, ut quidquid in tuo Nomi-ne dignè, perfectéque ab his agitur, à te fieri crēdatur. Quæſumus immenſam clementiam tuam, ut quod modò viſita-turi ſumus, viſites, quidquid benedicturi, bene†dicas, & ad ea, quæ acturi ſumus, dexteram tuæ Potentiæ extendas, fiátque ad noſtræ humilitatis ingreſſum, & introi-

 tum,

tum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, & Angeli pacis ingreſſus, per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Benedictio aquæ contra maleficia.

℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Bene†dic omnipotens DEUS hanc aquam, quam ad uſum humani generis ad abluendum omnium peccatorum crimina præſtitiſti, ut invocato ſuper ea nomine tuo ſancto, quicunque in ea lotus fuerit, vel ubicunque aſperſa fuerit, ſeu à qualibet creatura rationali potata, ſalutaris tui munus inviſibile per hanc aquam tribuatur, ut omne, quod ſordidum eſt, effugetur, & tuæ pietatis beneficium in omnibus convaleſcat. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c. Amen.

Oremus.

Domine ſancte Pater, æterne DEUS, exaudi preces noſtras, ſicut exaudire dignatus es famulum tuum Moyſem in mari rubro, propter hoc, quia Pharao in populo tuo cor ſuum exacerbavit, ut ipſum manu ſui exercitûs necaret: & ſicut Heliſeus Propheta, cùm populus tuus aquam guſtare non poſſet, ſal accepit, & pro-

projecit ad exitus aquarum, & benedixit eas, & dixit: Sanavit Dominus aquas iſtas, & non erit in eis mors, neque infirmitas, & ſanatæ ſunt aquæ: ita tu Domine ſana aquam iſtam, & ubicunque aſperſa fuerit per domos, ſive angulos domorum, & ubicunque maleficium diabolicum delatum fuerit, ſtatim confuſum, & increpatum abſcedat, & fugiat, & ſit nobis Domine hæc aqua aſperſa, aqua omnis virtutis, aqua refrigerans, & diaboli interitus: & liberatus hic famulus tuus N. laudes, & gratias tibi, Domine ſancte Pater omnipotens, agat ſempirernas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

*Benedictio aquæ Ignatianæ, uti vulgò vocatur.*

℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini &c.

Oremus.

Bene † dic Domine, Creaturam iſtam aquæ, ut ſit remedium generi humano, & præſta per piiſſimam miſericordiam tuam, per Jeſu Chriſti ſanguinem, ac interceſſionem S. Ignatii, & Omnium Sanctorum, ut quicunque ex ea ſumpſerit, liberationem ab omnibus malis, corporis ſanitatem, & animæ tutelam percipiat per Dominum &c.

Antiph. Hic Vir deſpiciens mundum, & terrena triumphans, divitias cœlo condidit ore, manu.

℣. Juſtum deduxit Dominus per vias rectas.

℟. Et oſtendit illi regnum DEI.

Oremus.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, quas in S. Ignatii Confeſſoris tui commemoratione deferimus: ut qui noſtræ juſtitiæ fiduciam non habemus, ejus, qui tibi placuit, meritis adjuvemur. Qui vivis & regnas cum DEO Patre &c.

Oremus.

DEus, qui glorificantes te glorificas, & in Sanctorum tuorum honoribus honoraris. Concede propitius, ut qui S. Ignatii glorioſa merita colimus, ejus pia patrocinia ſentiamus.

DEus, qui ad majorem nominis tui gloriam propagandam novô per B. Ignatium ſubſidiô militantem Eccleſiam roborâſti: concede, ut ejus auxilio, & imitatione certantes in terris, coronari cum ipſo mereamur in cœlis. Qui vivis & regnas &c.

*Deinde Reliquiæ, vel metallum S. Ignatii mittantur in aquam, dicatúrque.*

Confer, Benigniſſime Domine DEus, per contactum reliquiarum (metalli) ſancti tui Ignatii aquæ huic virtutem ſanandi corpus & animam, pellendi quoque omnia mala ab hoc loco, ejúsque incolis in Nomine Pa†tris & Fi†lii & Spiritus† Sancti, Amen.

Bene-

Benedictio Balnei, Unctionis, Medicinæ, vel Brodii medicati.

*Mutatis mutandis.*

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℣. Domine exaudi &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

Quæſumus clementiam tuam, æterne DEus, ut hoc Balneum (vel unctionem, Medicinam, vel Brodium &c.) ad expellendas omnes ægritudines, & fugandas diabolicas virtutes, & maleficorum infeſtationes, imò & ipſos dæmones à corporibus humanis, quod in nomine ſancto tuo, & ſancti N. bene†dico, & ſanctifico, ſic tu Omnipotens, & Clementiſſime DEus, bene†dicere & ſanctificare piiſſime DEus digneris, & in omni, qui in eo balneaverit extingue febrium infeſtationes, viſcerum tormenta cura, cordis & capitis dolores, & paſſiones cunctas diſſolve, gravitates pectoris remove: infeſtationes cunctas à quibusvis partibus corporis reſolve: phantaſmaticis adeſto periculis, tumoréſque compeſce. Sit hoc Balneum expulſio præſentis morbi: & fugiant diaboli cum omnibus ſuis ſociis, facturis & armis. Exorcizo te † creatura Balnei in nomine JEſu, ut virtutem naturalem retineas, ſupernaturalem recipias adjurata in nomine Chriſti. Bene†dic, ô Domine hoc Balneum, & virtus Spiritûs Sancti ſit ſuper illud, ad evacuan-

cuanda, & deſtruenda, annihilanda, & eradicanda è corpore humano maleficia cuncta, cujuscunque generis ſint: & ſimul ad expellendum ipſum dæmonem.

Prout ego N. Sacerdos tuus bene † dico, exor † cizo, & ſancti † fico, & benedictiones cunctæ ſervorum DEI ſint ſuper te, ô Balneum, & ſis potens ad effugandos dæmones cum ſuis facturis, & armis diabolicis. Tandem Benedictio ſancti N. ſit ſuper te † in Nomine Pa † tris & Fi † lii & Spiritus † Sancti. Amen.

## Alia Benedictio Balnei pro maleficiatis.

Exorcizo te unda Balnei per DEum Pa † trem, per DEum Fi † lium, per DEum Spiritum † Sanctum, per DEum, qui ſimile lavacrum Moyſi ſervo ſuo fieri mandavit: dicens: facias labium æneum cum baſi ſua ad lavandum: per DEum, qui lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo: per DEum, qui nos per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritûs Sancti in filios adoptionis accepit, ne tibi aliquid commune ſit cum ſpiritibus immundis, ſed ſanctificeris, ut ſis Chriſti fidelium purgatio, & immundorum Spirituum abdicatio, atque maleficiorum omnium ab homine, ſive à diabolo factorum exterminatio, ita, ut quicunque ex te corpus ſuum laverit, Divinam in te virtutem ſentiat affuiſſe.

Per

Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne DEus, ante cujus conſpectum tremunt Angeli, infernus ululat, qui Judith ancillæ tuæ, quæ corpus laverat, & ornaverat, tantam gratiam donare dignatus es, ut fieret Holofernicida, & populum ſuum ab obſidione liberaret, bene † dicere & ſanctificare dignare hoc ablutionis genus, ut quisquis ex eo corpus ſuum laverit, valeat Holofernis infernalis interimere virtutem, & ab ejus vexatione liberari, atque ab omni maleficiorum genere miſericorditer, te præſtante, ſalvari. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum: qui aquâ in pelvim miſsâ diſcipulorum ſuorum pedes humiliter lavit, & tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti DEus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

## Benedictio Cereviſiæ, Vini, vel alterius potabilis materiæ.

℣. Adjuotrium noſtrum &c.
℣. Dominus vobiscum &c.

Oremus.

Domine DEus, Pater Omnipotens, ſtatutor omnium elementorum & fructuum, qui per JEſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum, ſubſtantiam hanc

hanc in refocillationem ſitis, & corporum ſalutem eſſe voluiſti; te ſupplices deprecamur, ut exauditis orationibus noſtris, eam tuæ pietatis aſpectu ſancti†fices: atque ita omnium ſpirituum immundorum ab ea recedat incurſio, ut quicunque ex ea ſumpſerit, ei gratia tuæ benedictionis adveniat, & mala omnia te propitiante ab eo procul recedant. Per eundem Dominum noſtrum &c. Amen. *Aſpergatur aquâ benedictâ.*

## Benedictio ad quodcunque commeſtibile.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

Benedic† Domine creaturam iſtam N. ut ſit remedium ſalutare generi humano: & præſta per invocationem ſancti Nominis tui, ut quicunque ex ea ſumpſerint, corporis ſanitatem & animæ tutelam percipiant. Per Chriſtum &c.

*Aſpergat id aquâ benedictâ in modum crucis.*

## Benedictio ſimplex crucis.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Dominus vobiſcum.

Oremus.

Rogamus te, Domine ſancte, Pater Omnipotens, æterne DEus, ut digneris bene†dicere hoc lignum crucis, ut ſit remedium ſalutare generi humano, ſit ſoliditas

ditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum, ſit ſolamen & protectio, ac tutela contra ſæva jacula inimicorum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Alia Oratio.

Bene † dic Domine hanc Crucem tuam, per quam eripuiſti mundum à Dæmonum poteſtate, & ſuperâſti Paſſione tua ſuggeſtorem peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per lignum vetitum: bene † dic etiam Domine, & ſancti † fica iſtud ſignaculum ſacræ paſſionis tuæ, ut ſit inimicis tuis obſtaculum, & credentibus perpetuum perfice auxilium. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.
*Aſpergatur aquâ benedictâ.*

## Benedictio Cubiculi.

℣. Adjutorium &c.

Oremus.

Bene † dic, Domine DEus Omnipotens, locum iſtum, ut ſit in eo ſanitas, caſtitas, victoria, fortitudo, humilitas, bonitas, & manſuetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio DEO Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: & hæc benedictio maneat ſuper hunc locum, & ſuper habitantes in eo, Angeli tuæ lucis eum inhabitent, eúmque, & ejus habitatores cuſtodiant, & defendant contra omnes inſidias inimici; & ſi quæ adverſa, & contraria ſunt ab eo in hoc

loco machinata & fabricata, auctoritate majeſtatis tuæ expellant. Per Chriſtum Dominum &c. ℟. Amen.

Oremus.

Propitiare, Domine, ſupplicationibus noſtris, & bene†dic locum iſtum dexterâ tuâ ſanctâ, & omnes, qui in eo commorantur, illúmque viſitare, & inhabitantibus gratiam ſanctitatis impertiri digneris, ſicut benedicere dignatus es cubiculo, & domui, in quo exceptus fuit hoſpitio Propheta Eliſeus; & ſicut viſitâſti, & ſanâſti ſocrum Petri; mitte, Domine, ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui liberet & defendat hunc locum ab imminentibus malis cum omnibus, qui in eo commorantur, nulláque eos nequitia contrariæ poteſtatis infeſtet, ſed virtute Spiritus ſancti fiat hîc tibi debitum, & devota libertate ſecurum ſervitium. Per Dominum noſtrum &c. ℟. Amen.

*Deinde aſpergat aquâ benedictâ.*

## Benedictio domûs novæ.

℣. Adjutorium noſtrum &c. &c.

Oremus.

Te DEum Patrem Omnipotentem ſuppliciter exoramus pro hac domo, & habitatoribus ejus, ac rebus, ut eam benedicere †, & ſanctificare †, ac bonis omnibus ampliare digneris: tribueeis, Domine, de rore cœli abundantiam, & de pinguedine

guedine terræ vitæ ſubſtantiam, & deſideria voti eorum ad effectum tuæ miſerationis perducas. Ad introitum ergò noſtrum benedicere † & ſanctificare digneris † hanc domum, ſicut benedicere dignatus es domum Abraham, Iſaac, & Jacob: & intra parietes domûs iſtius Angeli tuæ lucis inhabitent, eámque, & ejus habitatores cuſtodiant. Per Chriſtum. &c. Amen.

*Aſpergatur aqua benedicta.*

## Benedictio domûs alia.

NB. *Quando benedicitur domus, accendatur candela benedicta, & Crux antecedat.*

℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.

℟. Qui fecit &c.

Oremus.

NB. *Sequitur deinde Oratio præparatoria mox ſuprà ante benedictiones poſita, qua dicta proſequatur ulteriùs Sacerdos.*

Oremus.

Domine ſancte Pater per merita ſancti Ubaldi Epiſcopi benedic domum iſtam † benedic introitum noſtrum † benedic † ingreſſus pedum noſtrorum, ſicut dignatus es domum Patrum noſtrorum Abraham, Iſaac, & Jacob bendicere †. O Domine JEſu Chriſte, quæſumus, qui dixiſti Diſcipulis tuis: in quamcunque domum intraveritis, ſalutate eam, dicentes:

Pax huic domui; veniat pax illa ſuper domum iſtam, & ſuper omnes famulos, & famulas tuas, & eos Domine ab omni infirmitate eripere, & liberare digneris: & repleas centeſimo fructu vini, & olei, & frumenti, & in futurum illis concede gratiam æternam. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedic Domine Domum iſtam, & locum iſtum, cum ædificiis ſuis, & ſit ibi ſanitas, ſanctitas, virtus, & gloria, atque humilitas, bonitas, & manſuetudo, lenitas, & plenitudo legis, obedientiáque DEO Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Hæc benedictio † ſit ſuper domum iſtam, & ſuper locum iſtum, & ſuper omnes habitantes in eo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

† Sancti Angeli DEI deſcendant in hanc domum, & eam defendant, & protegant ab omnibus dæmonibus, & facturis per pietatem DEI ſemper. Amen.

Conſerva Domine domum iſtam in æternum impollutam, quam à ſpiritibus immundis flagellantibus nunc mundo † purgo † benedico † & ſanctifico †. Egrediatur fons de domo tua Domine ſuper domum iſtam, ut irrigatur miſericordiâ tuâ, & dic Angelo percutienti: ceſſet jam manus tua, appareat Majeſtas tua, & ſancti†ficet hoc habitaculum. Sancta Maria, invoco Nomen tuum ſuper hanc domum

& lo-

& locum, benedic eum, quia tu es Mater miſericordiæ, & Conſolatrix afflictorum. S. P. Ubalde exurge, & per Paſſionem JEſu Chriſti benedic † & ſancti † fica hanc domum, & locum, ut dæmones, & eorum maleficia non poſſint latere; nam ego N. Sacerdos DEI, & ſervus tuus in tuo nomine deſtruo † & annihilo facturas, & omnia maleficia facta, vel facienda in hoc loco, & bene † dico hanc domum, ut dæmones, & facturæ non poſſint ſtare, nec durare, ſed nunc omnia deſtruantur, & deficiant. In Nomine Patris † & Filii † & Spiritus † Sancti. Amen.

Peto Domine per tuam bonitatem, ut hic locus ſit benedictus â tua ſancta dextera, ut ſit ignis ardens dæmonibus, ut ſemper fugiant confuſi, nec ullô modô poſſint latere, vel die, vel nocte, & omnes habitantes ſecuri quieſcant in tua pace ſine turbatione & nocumento diabolico, ſed tua benedictio ſit ſemper ſuper hunc locum, & ſuper omnes habitantes in eo. Amen.

Pax & Benedictio SS. Trinitatis, & S. Ubaldi deſcendat ſuper domum hanc. Amen. Ut habitantes in hac domo per Nomen JEſu poſſint devotè orare, quietè dormire, comedere, bibere, & alia naturalia agere, & liberè exercere. Per Chriſtum Dominum Noſtrum. Amen.

*Aſpergatur aqua benedicta.*

## Benedictio fontis, ſeu Putei.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

Deprecamur, Domine, clementiam Pietatis tuæ, ut aquam putei hujus, cœleſti Benedictione † ſanctifices, & ad communem vitam, concedas ſalubrem: & ita ex eo fugare digneris omnem diabolicæ tentationis incurſum, ut, quicunque ex eo abhinc hauſerit, biberítve, vel in quibuslibet neceſſariis uſibus hauſtâ aquâ uſus fuerit, totius virtutis, ac ſanitatis dulcedine perfruatur: ut tibi ſemper ſanctificatori omnium Domino, gratias agere mereatur. Per Chriſtum &c. ℟. Amen.

*Aſpergat puteum aqua benedicta in modum Crucis.*

## Benedictio fœni, paſcuorum, ſalis & aquæ pro animalibus à maleficio liberandis, ac præſervandis.

℣. Adjutorium noſtrum &c. &c.

Oremus.

Omnipotens æterne DEus, qui producis fœnum jumentis, & herbam ſervituti hominum, quique aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione, dans eſcam omnibus in tempore opportuno: exaudi preces ſervorum tuorum, & ſuper hoc fœnum, paſcua, ſalem, & aquam, tuam ſanctiſſimam † Benedictionem infundere digneris, ut quæcunque animalia ex

ex eis ſumpſerint, ab eis diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici, liberentur, ac præſerventur ab omni maleficio, noxa, & infeſtatione dæmoniaca: & à quacunque lue, peſte, ac morbo contagioſo: ut illis tua divina virtute adjutis, atque protectis, earum Domini ac cuſtodes gratiarum tibi in Eccleſia tua referant actiones. Per Chriſtum &c. ℟. Amen.

*Aſpergantur dein aqua benedicta.*

## Benedictio communis ſupra fruges & vineas.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Oremus.

Oramus Pietatem tuam Omnipotens DEus, ut has primitias creaturæ tuæ, quas aëris, ac pluviæ temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuæ imbre perfundas: & fructus terræ tuæ usque ad maturitatem perducas. Tribuas quoque populo tuo de tuis muneribus tibi ſemper gratias agere, ut à fertilitate terræ eſurientium animas bonis affluentibus repleas, & egenus & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Chriſtum &c. ℟. Amen.

Alia.

℣. Adjutorium noſtrum. &c.

Oremus.

Te, Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, ſupplices deprecamur, ut miſericordiâ tuâ jugiter nobis concedas

ſufficientem meſſium copiam, fructuum omnium largitatem tribuas: vinearum quoque ſubſtantiam abundanter: arborum fœtus, proventúsque omnium rerum: atque ab ipſis omnibus peſtiferum ſydus, tempeſtatis procellam, & grandinis fragorem, & univerſa mala avertere digneris. Per Chriſtum &c. ℟. Amen.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne DEus multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, & preces noſtras benignus exaudi: ut ſuper has fruges famulorum tuorum veniat ſperatæ bene†dictionis ubertas: ut repleti de frugibus tuis in tuo nomine de tua gratia ſemper exultent. Per Chriſtum Dominum &c. ℟. Amen.

*Aſpergantur aqua benedicta.*

## Benedictio Herbarum quocunque tempore.

℣. Adjutorium noſtrum. &c.

Oremus.

Domine Sancte, Pater Omnipotens, qui ab initio feciſti hominem ad imaginem tuam, & condidiſti cœlum & terram, ſolem & lunam, ſtellas. & omnia cœleſtia & terreſtria: qui dominaris poteſtati maris: qui habes poteſtatem abyſſi magnæ: qui condidiſti omnia elementa: tu bene†dicere, & ſancti†ficare digneris has creaturas herbarum, ſicut benedixiſti quinque

panes

panes in deſerto, & duos piſces, & ſatiâſti quinque millia hominum: omnéſque, qui utentur ex eis, bene † dicere, & ſancti † ficare dignare, ut in eis ſit ſanitas animæ & corporis: in nomine Patris †, & Filii, & Spiritus Sancti: & ab omnibus hominibus pecoribúsque, qui ex his guſtaverint, omnem putredinem, & omne phantaſma diaboli, & omnem morbum ac dolorem, expellere digneris: qui in Trinitate perfecta vivis & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

Suppliciter, Sancte Pater, & enixis precibus tuam deprecamur clementiam, qui mirabiliter ex nihilo mundum creâſti, quíque terram diverſa proferre germina præcepiſti, & varia medicamentorum genera ad ſananda generis humani corpora, herbis indidiſti: bene † dicere, & ſancti † ficare has diverſi generis herbas tua pietate digneris: ut quicunque ex eis ſumpturi ſunt, tam animæ; quàm corporis deſiderabilem percipiant ſanitatem, & intercedente Beatiſſima Virgine Maria, ſic earum uſu jucundentur ſalubriter, quatenus in tuorum odore unguentorum, Paradiſi januas adire mereantur, præſtante Domino noſtro JESU Chriſto, qui tecum vivit & regnat Deus per omnia &c. ℟, Amen.

Oremus.

DEus, qui univerſis herbarum generibus humanis neceſſitatibus præſtitiſti remedia: hanc herbarum collectionem tuæ miſerationis bene ✝ dic dexterâ: ut quîsquis languore depreſſus, ex eis aliquid guſtaverit, Eccleſiæ tuæ ſanctæ repræſentatus, optatæ munus ſalutis, te donante, percipiat. Per Chriſtum Dominum noſtrum.
℟. Amen.

*Aſpergantur aqua benedicta.*

## Benedictio ſimplex Iconum, ſeu Imaginum Dei, & Sanctorum.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus,

Omnipotens ſempiterne DEus: Majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut Iconem hanc, in qua glorioſiſſimæ Imagines & Filii tui Domini noſtri JEſu Chriſti: & glorioſæ Virginis Mariæ Matris Ejus: aliorúmque Sanctorum N. & N. depictæ ſunt, bene ✝ dicere, & ſancti ✝ ficare digneris: ante quam, quicunque ob devotionem ad ipſam adorandam ſe devotè inclinaverint, ſalutem mentis, & corporis conſequantur: & à cunctis periculis liberentur, & quidquid juſtè petierint, obtinere mereantur. Per eundem &c.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne DEUS: qui Sanctorum tuorum Imagines ſive effigies ſculpi, aut pingi non repudias; ut quoties illas oculis corporeis intuemur, toties eorum actus, & ſanctitatem ad imitandum memoriæ oculis meditemur: hanc, quæſumus, imaginem, ſeu ſculpturam, in memoriam & honorem tui: (*vel*) Unigeniti Filii Domini noſtri JESU Chriſti: (*vel*) Beatiſſimæ Virginis Mariæ Matris Ejus: (*vel*) Beati N. Apoſtoli tui: (*vel*) Martyris: (*vel*) Confeſſoris: (aut) Pontificis: (aut) Virginis adaptatam, bene † dicere, & ſancti † ficare digneris: Et præſta, ut quicunque coram illa, te (vel) Filium tuum, (vel) Beatiſſimam Virginem (vel) glorioſum Apoſtolum, Martyrem, Confeſſorem, (vel) Virginem, ſuppliciter honorare ſtuduerit, illius precibus, & obtentu à te gratiam in præſenti, æternam gloriam obtineat in futuro. Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.

Aſpergantur in modum Crucis aquâ benedictâ.

## Benedictio pro infirmis, præſertim febricitantibus.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℟. Qui fecit &c.
℣. Domine exaudi &c.
℟. Et clamor meus &c.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Ore-

Oremus.

O Beatiſſima Virgo Maria ſine labe concepta, quæ contriviſti caput ſerpentis, fugatrix dæmonum, & omnium maleficiorum diſſipatrix, & conſolatrix afflictorum, nè hæc creatura ulteriùs crucietur febribus (vel infirmitatibus) ſuccurre, & preces noſtras, quas auribus tuæ pietatis, & miſericordiæ offerimus, exaudi, ut deſideratam ſanitatem tuo pio interventu obtineat, largiente JEſu Chriſto Filio tuo Crucifixo, qui cum Patre & Spiritu S. vivit & regnat &c.

Oremus.

Ne deſpicias, quæſumus Redemptor noſter, me indigniſſimum Sacerdotem (N.) Miniſtrum tuum, ſed ſicut tradidiſti mihi poteſtatem quotidiè offerendi æterno Patri tuo immaculatiſſimum Corpus, & pretioſiſſimum Sanguinem tuum ad Altare in remiſſionem peccatorum totius mundi, ita nunc reple impoſitionem manuum mearum omni benedictione tua † cœleſti: qui vivis & regnas &c.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

†. Sequentia S. Evangelii ſecundùm Lucam.

℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore ſurgens JEſus de Synagoga intravit in domum Simonis, ſocrus autem tenebatur magnis febribus, & roga-

rogaverunt illum pro ea, & ſtans ſuper illam imperavit febri, & dimiſit illam.

Sic liberet te per merita Paſſionis ſuæ, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ ſine labe conceptæ, B. Joſephi, Joachim & Annæ, B. Patris Franciſci, S. Antonii de Padua, S. Petri de Alcantara, B. Salvatoris ab Horta, B. Alberti, & omnium Sanctorum † JEſus Nazarenus Rex Judæorum natus ex Maria Virgine, per ineffabilem pietatem, & miſericordiam ſuam piiſſimam, & per interceſſionem Ejusdem B. V. Mariæ, & ſanctorum Angelorum, Sanctorúmque omnium, & maximè Apoſtolorum, & Evangeliſtarum ſuorum Joannis, Matthæi, Marci, & Lucæ, ipſum nunc quæſo Filium Mariæ plena fide & fiducia, ut dignetur te liberare ab omni febre, & infirmitate animæ & corporis, & ab omni infeſtatione Sathanæ, & miniſtrorum ejus, qui cum Patre, & Spiritu S. &c.

Chriſtus Rex venit in pace, Deus homo factus eſt, & ſanabat infirmos.

*Poſteà dicitur.*

Per Evangelica dicta deleatur infirmitas tua. Amen.

Antiphona.

Miſerere Domine hujus famuli tui (vel famulæ tuæ) quoniam infirmus eſt, ſana eum Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa ejus.

NB. *Tempore Paſchali additur duplex Alleluja.*

℣. Do-

℣. Domine exaudi &c.
℟. Et clamor meus &c.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens æterne Deus, ſalus æterna credentium, exaudi nos pro infirmo famulo tuo (vel famula tua) pro quo Miſericordiæ tuæ imploramus auxilium, ut reddita ſibi ſanitate gratiarum tibi in Eccleſia referat actiones. Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.

NB. *Poſtea ſignetur ægrotus in fronte his SS. Nominibus, & ſignô †. digitô in aqua benedicta intinctô.*

†
IHS. ✝ MARIA.

*Poſtea dicatur.*

JEſus, & Maria, te cum Prole pia benedicat immaculata Virgo Maria. Potentia DEI Patris †. Sapientia DEI Filii †. Virtus Spiritûs Sancti †. Liberet te ab omni febre, tertianâ, quartana, continuâ, & malignâ. Beatiſſima Virgine Maria ſine labe concepta, & B. Salvatore ab Horta, orantibus pro te famulo ſuo (vel famula ſua) Dominus te bene † dicat, & ab omni infirmitate, & ab omni malo te ſemper defendat. Amen.

NB, *Poſtea imponat Sacerdos manum dexteram capiti ægrotantis, & dicat :*

Super ægrotos manus imponent, & benè habebunt. JEſus Mariæ Filius, & mundi ſalus, & Dominus, meritis B. V. Mariæ ſine labe conceptæ, B. Joſephi, Joachim & Annæ, SS. Franciſci, Antonii Paduani, Petri de Alcantara, B. Vincentii, & BB. Zenobii, Guilielmi, & Nicolai de Tolentino Confeſſorum ſuorum, & Omnium Sanctorum, reſtituat tibi ſanitatem mentis & corporis juxta ſuam ſanctiſſimam voluntatem, & beneplacitum, ſit tibi propitius & clemens. Amen.

NB. *Deinde ægrotans aſpergatur aqua benedicta, dicátque Sacerdos :*

Benedictio DEI Omnipotentis Patris †. Et Filii. †. Et Spiritûs † Sancti deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. Amen. Per ſignum ſancti Spiritus det tibi DEus ſanitatem mentis & corporis.

NB. *Poſtea ægrotanti detur in aqua benedicta ad ſumendum (ſi fieri poteſt) aliqua Schedula Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ;* ubi obſerventur *ea, quæ in 1ma parte Armament. cap. 5. de Schedulis Marianis dicta ſunt.*

Bene-

## Benedictio B. Salvatoris ab Horta Franciſcani contra febres.

Potentia Dei Patris †. Sapientia DEI Filii †. Virtus Spiritûs Sancti † liberet te ab omni febre tertiana, quartana, & continua B. Salvatore orante pro te famulo ſuo (vel famula ſua) †

Dominus te N. benedicat †. ab infirmitate, & ab omni malo ſemper defendat. Amen.

## Benedictio Ven. P. Joannis de S. Guilielmo ſuper infantes infirmos.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Sequentia S. Evangelii ſecundùm Matthæum cap. 8.

Cùm autem JEſus introiſſet Capharnaum, acceſſit ad Eum Centurio, rogans eum, dicens: Domine puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur, & ait illi JEſus: ego veniam, & curabo eum: & reſpondens Centurio ait: Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus, nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic: vade, & vadit, & alii: veni, & venit: & ſervo meo: fac hoc, & facit. Audiens autem JEſus miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: amen dico vobis non inveni tantam fidem in Iſraël, dico autem

autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in regno cœlorum, filii autem Regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium; & dixit JEſus Centurioni, vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. ℟. Laus tibi Domine. *Dom. 3. poſt Epiphan.*

*Sacerdos dicat:*

Per † Evangelica dicta, deleantur noſtra delicta. Amen.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℟. Qui fecit &c.

Miſerere mei Deus, quoniam infirmus ſum, ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea, & anima mea turbata eſt valdè. Alleluja. *Tempore Paſchali dicatur ter.*

℣. Domine exaudi &c.

℟. Et clamor meus &c.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens æterne DEus, ſalus æterna credentium, exaudi nos pro famulo tuo N. infirmo, pro quo miſericordiæ tuæ imploramus auxilium, ut reddita ſibi ſanitate gratiarum tibi in Eccleſia tua referat actiones. Per Dominum noſtrum. &c.

Bene † dicat tibi Dominus, & cuſtodiat te, oſtendat faciem ſuam tibi, & miſereatur

tur tui: convertat vultum ſuum ad te, & det tibi pacem.

Dominus bene † dicat te, & liberet ab omni malo, & ab omnibus inſidiis inimicorum.

Dominus JEſus Chriſtus apud te ſit, ut te † defendat. Intra te ſit, ut te † conſervet. Ante te ſit, ut te † ducat. Supra te ſit, ut te † benedicat, & liberet ab omnibus maleficiis, incantationibus, ſacturis, & ſignaturis: qui cum Patre & Spiritu Sancto, vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

## † JESUS † MARIA †

Super ægros manus imponent, & benè habebunt. JEſus Mariæ Filius, mundi ſalus & Dominus, meritis BB. Vincentii, Zenobii, Guilielmi, & Nicolai de Tolentino Confeſſorum ſuorum, reſtituat tibi ſanitatem, ſitque tibi propitius & clemens.

Benedictio DEI Omnipotentis Patris † & Filii † & Spiritus Sancti deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. Amen.

*Conſpergat ægrotum aqua benedicta, & dicat:*

Benedicat, & cuſtodiat te Omnipotens DEus † Pater, & † Filius, & Spiritus † Sanctus. Amen.

### Benedictio lecti pro maleficiatis.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℟. Qui fecit &c.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Ore-

Oremus.

Domine ſancte Pater, qui caſtigando nos ſalvas, deprecor Majeſtatem tuam ſuper hunc lectum, & ſuper hanc domum, & ſuper omnia, quæ ſunt in ea, & ſuper has plumas. Quia omnia bene † dico, puri † fico, exor † cizo, atque ſancti † fico per Nomen ſanctum tuum, & ſervi tui S. Antonii Paduani, quem deprecor, ut ſit in noſtro auxilio, & omnium creaturarum: ſic & tu Domine benedicere † & ſanctificare digneris hunc lectum, domum, & omnia, quæ ſunt in ea, & has plumas, ut quisquis, & præcipuè hæc creatura N. ſuper has plumas, & lectum proſtrata fuerit, dormiat, & tuam benedictionem recipiat, & ſecura quieſcat: imò omnis ſpiritus immundus, omne phantaſma, omne maleficium, vel factura, ligatura, ſignatura, & omne opus quomodolibet diabolicum, in lectum, vel plumas has, vel domum, factum deſtruatur, annihiletur, exterminetur, diſſipetur, expellatur, elongetur, quantum eſt elongatum cœlum à terra, lux à tenebris, nec ampliùs revertatur: Et Ego N. Sacerdos DEI deſtruo & extirpo, & annihilo, ut non revertatur, & ſpiritus maledictos torum, domum, & tuas creaturas violare volentes contero, & diſperdo; Et tandem Domine multiplica tuas ſanctas benedictiones ſuper lectum, & has plumas, & domum, & ſuper creaturas, quæ

habitant in ea, nam ego omnia bene†di-co, & ſancti†fico Sacerdotali auctoritate † quâ fungor, in Nomine Patris † & Filii & Spiritûs † Sancti. Amen.

*Aſpergatur aqua benedicta.*

## Benedictio generalis cujuſcunque loci.

℣. Adjutorium noſtrum, &c.
℟. Qui fecit &c.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Benedic † Domine Deus Omnipotens locum iſtum, (vel domum iſtam) ut ſit in eo ſanitas, caſtitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, & manſuetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio Deo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & hæc Benedictio † maneat ſuper hunc locum, & ſuper habitantes in eo nunc & ſemper. Amen.

*Aſpergatur aqua benedicta.*

## Benedictio quarumcunque medicinarum.

℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Summe Deus, qui ſumma, & media, imáque cuſtodis, qui omnem creaturam intrin-

intrinſecùs ambiendo concludis, ſancti- † ficare, & benedicere digneris hanc medicinam, & bene † dictionem tuam ſuper eam digneris effundere, ut per tuam ſanctiſſimam virtutem, & copioſiſſimam benedictionem per ſignum ſanctæ Crucis † impertitam, omnis virtus diabolica ab hac creatura, quæ hanc medicinam ſumptura eſt, expellatur, & annihiletur, tantámque virtutem meritô Paſſionis tuæ, & vivificæ Crucis † recipiat, ut omnes immundos ſpiritus, incantationes; ligaturas, ſignaturas, facturas, & omnia maleficia poſſit expellere, & divertere à famulo tuo, qui ea utetur, exhibeatque ei plenum ſanitatis effectum. Per Chriſtum Dominum &c. Amen.

## Oremus.

Benedico te, creatura medicinæ, in nomine Altiſſimi Patris † & Filii † & Spiritûs † Sancti, qui te creavit pro tutela humani generis. Et rogamus te, Domine DEus noſter, ut hæc creatura medicinæ famulo tuo, qui eâ utetur in nomine Sanctæ Trinitatis efficiatur ſalutare remedium ſitque perfécta medicina in viſceribus ejus. Qui in Trinitate perfecta vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

*Aſpergatur aqua benedicta.*

## Benedictio alia medicinæ, vel cujuscunque Comeſtibilis.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℟. Qui fecit &c.

℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Bene † dic Domine, creaturam iſtam N. ut ſit remedium ſalutare generi humano, & præſta per invocationem ſancti Nominis tui, ut quicunque ex ea ſumpſerint, corporis ſanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

*Aſpergatur aqua benedicta.*

## Benedictio mulieris prægnantis ubi aut Matris, aut infantis vita periclitatur.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Salvam fac ancillam tuam.
℟. DEus meus ſperantem in te.
℣. Eſto illi Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in ea.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Mitte ei Domine auxilium de ſancto.
℟. Et de Sion tuere eam.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Ore-

Oremus.

Omnipotens ſempiterne DEus, qui dedediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia Majeſtatis adorare unitatem: quæſumus, ut ejusdem fidei firmitate, hæc famula tua ab omnibus ſemper muniatur adverſis. Per Dominum noſtrum &c.

Oremus.

Domine DEus, omnium Creator, fortis & terribilis, juſtus & miſericors: qui ſolus bonus & pius es; qui de omni malo liberas Iſraël: qui electos Patres munere Spiritûs tui ſanctificâſti: qui glorioſæ Virginis Matris Mariæ corpus & animam, ut dignum Filii tui habitaculum eſſe mereretur, Spiritu Sancto cooperante præparâſti: qui Joannem Baptiſtam Spiritu Sancto repleri, & in utero Matris exultare feciſti: accipe ſacrificium cordis contriti, ac fervens deſiderium famulæ tuæ N. humiliter ſupplicantis, pro conſervatione prolis debilis, quam ei dediſti concipere: & cuſtodi partem tuam, & defende ab omni dolo, & iniuria dicti hoſtis: ut obſtetricante manu miſericordiæ tuæ, fœtus ejus ad hanc lucem veniat incolumis, ac ſanctæ regenerationi ſervetur, tibíque in omnibus jugiter deſerviat, & vitam conſequi mereatur æternam. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

*Poſtea aſpergatur aqua benedicta in modum Crucis dicendo Pſalmum 66.* DEus miſereatur noſtri &c. Gloria Patri &c.

℣. Benedicamus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu,

℟. Laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

℣. Angelis ſuis mandet de te.

℟. Ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

## Oremus.

Viſita, quæſumus, Domine habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea, & à præſenti famula tua longè repelle: Angeli tui ſancti habitent in ea, qui eam, & fœtum ejus ab omni adverſitate, & mortis periculo, tua benedictione cuſtodiant. Per Chriſtum Dominum Noſtrum. Amen.

Benedictio DEI Omnipotentis, Patris †, & Filii †, & Spiritûs † Sancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. Amen.

*Aſpergatur aqua benedicta.*

## Benedictio olei ſimplicis.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℟. Qui fecit &c.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

*Exo-*

### *Exorciſmus.*

Exorcizo te, creatura olei, per DEum Patrem † Omnipotentem, qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt. Omnis virtus adverſarii, omnis exercitus diaboli, & omnis incurſus, omne phantaſma ſatanæ eradicare & effugare ab hac creatura olei, ut fiat omnibus, qui eo uſuri ſunt, ſalus mentis & corporis, in nomine DEI Patris † Omnipotentis, & JEſu † Chriſti Filii ejus, Domini noſtri, & Spiritûs Sancti † Paracliti, & in charitate ejusdem Domini noſtri JEſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus &c.

℣. Dominus vobiſcum &c.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

### Oremus.

Domine DEus Omnipotens, cui aſtat exercitus Angelorum cum tremore, quorum ſervitium ſpirituale cognoſcitur, dignare reſpicere, & bene † dicere, & ſanctificare † hanc creaturam olei, quam ex olivarum ſucco eduxiſti, & ex eo infirmos inungi mandâſti, quatenùs ſanitate recepta, tibi DEO vivo & vero gratias agerent: præſta quæſumus, ut hi, qui hoc oleo, quod in tuo nomine bene † dicimus, uſi fuerint, ab omni languore, omníque infirmitate, atque

cunctis inſidiis inimici liberentur, & cunctæ adverſitates ſeparentur à plaſmate tuo, quod pretioſo Sanguine Filii tui redemiſti: ut nunquam lædatur à morſu ſerpentis antiqui: Per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit &c.

*Aſpergatur aqua benedicta.*

## Alia Benedictio Olei contra maleficia.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

℟. Qui fecit &c.

℣. Dominus vobiſcum, ℟. Et cum Spiriritu tuo.

Oremus.

Emitte, quæſumus Domine, Spiritum ſanctum tuum Paraclitum de cœlis in hanc pinguedinem olivæ, quam de viridi ligno producere dignatus es, ad refectionem mentis, & corporis, ut tua ſancta Bene✝dictione ſit omnibus hoc unguento cœleſtis medicinæ perunctis tutamen mentis, & corporis, ad evacuandos omnes dolores, omnésque infirmitates, omnémque ægritudinem mentis & corporis, & ſi quod illis adverſantium ſpirituum adhæreat nocumentum, ad tactum, & ſumptionem ſanctificati olei hujus abſcedat, nullus ſpiritalibus nequitiis locus, nulla refugis virtutibus ſit facultas, nulla inſidiantibus malis latendi licentia relinquatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

*Aſpergatur aqua benedicta.*

Alia

## Alia Benedictio Olei ex Lampade cujuſcunque Sancti, quo ungantur Infirmi.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Adjuva nos DEus ſalutaris noſter
℟. Et propter gloriam nominis tui libera nos.
℣. Salvum fac ſervum tuum.
℟. DEus meus ſperantem in te.
℣. Eſto illi turris fortitudinis.
℟. à facie inimici.
℣. nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Fiat miſericordia tua Domine ſuper eum.
℟. Quemadmodum ſperavit in te.

*Hîs dictîs ungit in fronte infirmum, dicens;*

Per interceſſionem Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & B. Felicis, ſecundùm ſuam piiſſimam miſericordiam liberet te DEus à præſente infirmitate, & ab omnibus malis mentis, & corporis, in nomine Patris † & Filii † & Spiritûs † Sancti. Amen.

℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.
℟. Et ſalutare tuum da nobis.
℣. Domine exaudi &c.
℟. Et clamor meus &c.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Ore-

Oremus.

Exaudi nos Omnipotens æterne DEus pro famulo (vel famula tua) quem modò in nomine tuo unximus, & intercedente glorioſa Filii tui Genitrice V. Maria, & B. Felice, & omnibus ſanctis, præſta, ut hujus unctionis virtutem ſentire valeat, atque ab omnibus malis animæ & corporis liberetur. Per Eum, qui tecum vivit & regnat DEus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

NB. *Sine Stola, prout decrevit S. Congregatio apud P. Sannig.*

## Benedictio in peſte animalium.

℣. Adjutorium &c.
℟. Qui fecit &c.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Miſericordiam tuam Domine, ſupplices exoramus, ut hæc animalia, quæ gravi infirmitate vexantur, in nomine, atque tuæ Bene † dictionis virtute, ſanentur. Extinguatur in eis omnis diabolica poteſtas, ne ulteriùs ægrotent, tu eis Domine ſis ſuſtentaculum vitæ, & remedium ſanitatis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

*Aſpergantur aqua benedicta.*

## Benedictio ſalis pro animalibus.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℟. Qui fecit &c.

℣. Do-

℣. Dominus vobiſcum &c.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus inviſibilis, & inæſtimabilis, pietatem tuam per ſanctum ac tremendum Filii tui nomen ſuppliciter deprecamur, ut in hac creatura ſalis Benedictionem † & potentiam inviſibilis operationis infundas: ut animalia, quæ neceſſitatibus humanis tribuere dignatus es, cùm ex eo acceperint, vel guſtaverint, Bene † dictio, & ſancti † ficatio tua ab omni ægritudinis & læſionis incurſu te protegente cuſtodiat. Per Eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

Domine ſancte, Pater Omnipotens, æterne DEus: defende quæſumus omnia animalia noſtra per hanc creaturam ſalis, & aquæ: defende piiſſimè à rapacibus, à latronibus, à beſtiis, à ſcabie, à morbo, à morſibus, à laqueis, à diabolo, ab infirmitate, ab invidia, & malitia pravorum, à malis hominibus, á malis oculis, à veneficiis, ab aruſpicibus, & ab omnibus malis ſalvare, & pecudes, & animalia, quæ morbis & infirmitatibus vexantur, per hanc creaturam ſalis, & per invocationem ſancti nominis tui ſanare digneris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

*Aſpergantur aqua benedicta.*

Bene-

## Benedictio Thalami.

*Vide Benedictio Lecti.*

## Benedictio Thuris, ſeu incenſi.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℟. Qui fecit &c.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

### Oremus.

Per interceſſionem Beati Michaëlis Archangeli ſtantis à dextris altaris incenſi, & omnium electorum ſuorum, incenſum iſtud dignetur Dominus bene † dicere, & in odorem ſuavitatis accipere. Sit, quæſumus Domine, famulis tuis pretioſo Sanguine tuo redemptis, defenſio perpetua contra omnes ſpiritus malignos, & omnes incantationes, præſtigia, & diabolicas vexationes: ſit perpetua expulſio malignorum ſpirituum; & in quocunque loco odor hujus incenſi fuerit, nullum maleficium, nulláque moleſtatio diabolica poſſit perdurare, ſed ſtatim tua immenſa potentia, & virtute tollatur, & abigatur per ſignum ſanctæ Crucis † tuæ. Qui vivis &c. Amen.

Ore-

Oremus.

Domine DEus Omnipotens, cui aſtat exercitus Angelorum cum tremore, dignare bene † dicere, & ſancti † ficare hanc creaturam incenſi, ut omnes languores, omnéſque infirmitates, atque inſidiæ inimici odorem incenſi hujus ſentientes fugiant procul, ut de cætero non audeant lædere, moleſtare, aut infeſtare creaturas tuas, aut loca habitationis earum. Per te Jeſu Chriſte Salvator mundi, qui vivis &c. Amen.

*Aſpergatur aquâ benedictâ.*

## Benedictio veſtimentorum.

℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens æterne Deus, qui inter cætera mirabilia creaturas tuas diverſis ornamentis decorâſti: & tunicas pelliceas Adæ, & Evæ feciſti: nósque veſte miſericordiæ in hoc ſæculo, & in regno tuo pervenientes ſtolâ gloriæ circumdas; quæſumus, ut hoc induſium, ſeu hæc indumen-

dumenta, pro tui nominis amore, purificare †, mundare † & benedicere † digneris; ut quicunque ea portaverit, & induerit, cœleſtis gratiæ plenitudinem in eis, & munimen tuæ benedictionis percipere, ut ab omnibus inimicorum maleficiis, incantationibus, ligaturis, ſignaturis, & facturis, & inſidiis defenſus, incolumis, te in ſæcula glorificare poſſit. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

*Aſpergantur aqua benedicta.*

# ADDITIO

## Certarum figurarum in Diœceſi Friſingenſi per Generale Mandatum prohibitarum.

OMne Promiſſum cadere in debitum notiſſimi Juris eſt. Promiſi ſuperiùs Part, 2. cap. 2. q. 4. me certas Figuras & ſchedas pro tunc ſub Examine Reverendiſſimi Conſiſtorii Friſingenſis conſtitutas, in calce totius operis relaturum. Quare, cùm poſt inſtitutam aliquorum in Lingua Hebraica, Chaldaica, & Syriaca peritorum examinationem, ab Ipſo Celſiſſimo, & Reverendiſſimo Principe & Epiſcopo Friſingenſi Joanne Franciſco Domino Domino Clementiſſimo, ſequentes ſint rejectæ, easdem prout reprobatæ fuerunt, una cum potioribus Rationibus rejiciendi, hîc præſentare volui. *Prima Figura.*

Ad cognoſcendum ſi aliquis vexetur à ſpiritibus immundis.

In Nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † Sancti. Amen. † Hel † Heloym † Sother † Emmanuel † Sabaoth † Agla † Tetragrammaton † Agyos † Otheos † Ichiros † Athanatos † Jehova † Ya † Adonay † Saday † Homouſion † Meſſias † Eſsrecheye † Increatus Pater † Increatus Filius † Increatus Spiritus Sanctus † JEſus † Chriſtus vincit † Chriſtus regnat † Chriſtus imperat † ſi diabolus ligavit vel tentavit te N. ſuo effectu, per ſua opera, Chriſtus Filius DEI vivi per ſuam miſericordiam liberet te ab omnibus ſpiritibus immundis, qui venit de cœlo, & incarnatus eſt in utero Beatiſſimæ Virginis Mariæ, causâ humanæ ſalutis, & ejiciendi diabolum, & omnem malignum ſpiritum à te in profundum inferni & abyſſi. Ecce crucem † Domini, fugite partes adverſæ, vicit leo de tribu Juda, radix David. Alleluja, Alleluja, Alleluja.

Circa hanc & ſequentes Figuras ſpecialiter quidam ex deputatis Theologis præſupponendum ajebat, easdem non ſinè gravi ſuſpicione videri (forſan per zingaros, aliósve malevolos, ſeu nimiùm credulos) originaliter fuiſſe à gente Judæorum tacitè introductas ad Chriſtianam Religionem, ſi non extirpandam, ſaltem obſu-



US
hen !
TALIS



RECTVS EST,

Chriſt omni malo nos
d Crux † Chriſti ;

N. 1.



UM



es maledicti hoc glorio-
N. 2. E*cce* agnum & admirabile
mi ſtri nomen Adonay Te-
*Cauſa c* on &c. *Oſculamini*
*ventium* ſtite devotè Spiritus

obfuſcandam, & obſcurandam : non enim (pergit ille) alio Chriſtum Salvatorem Noſtrum compellant nomine, quàm *Thalvi*, hoc eſt, *ſuſpenſus* : & Ejusdem Beatiſſimam Matrem *Thalvia*, ſeu *ſuſpenſa* : Chriſtianos verò *Chutiter*, quod idem, ac *omnia mala* denotat. S. Evangelium intitulant *Avengilion*, quod eſt, *volumen iniquitatis.* Quare cum commorantes ſimplicioribus Chriſtianis, vix alium eosdem decipiendi modum viderent, quàm litterîs incognitîs plures mirabiles ſuperſtitione, vel ſaltem prudenti ſuperſtitionis ſuſpicione haud carentes formârunt figuras & caracteres : quod cùm relatum eſſet Celſiſſimo S.R.I. Principi, ac Epiſcopo Friſingenſi, Alteſatus pro ſuo ſingulari paſtorali zelo demandavit, ut dictæ figuræ, ac caracteres ſtrictè examinarentur, quo facto, & relatione inde habita, easdem rejecit, prout in præſenti cernitur.

In prima Figura, teſtibus Theologis iisdem, jam olim Romæ confixa, & condemnata, ſub N. 1. ponitur Titulus ſalutiferæ Crucis Redemptoris Noſtri, ſubjuncta paraphraſi latinè, hebraicè, & græcè ſcriptus : cùm uterque hic titulus valdè mendosè ſit formatus, præſertim verò hebraicè exaratus; nam in hoc, referunt illi, vix tres litteras eſſe ritè formatas; & cùm inſuper ordo ſcriptionis hebraicæ, qui eſt à dextra ad ſiniſtram, prorſus

T 2 ſit

ſit immutatus, cenſebatur neque Titulum ſuperſtitione, aut ſaltem juſta ſuperſtitionis ſuſpicione carere.

Sub N. 2. continetur Figura Chriſti cum inſcriptione in prima figura orbiculari : *Et vocabitur Nomen Ejus admirabilis, Conſiliarius, DEus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps Pacis, & hoc Nomen meum vocabit ipſum DEus Noſter, ſit Nomen Ejus in æternum*, ubi textum (prout quidam ex dictis Theologis retulit) corrumpunt ad Chriſto ſuam Divinitatem adimendam, quod clariùs verba mox ſequentia indicant: *deleatur Nomen Ejus.*

In proxima figura orbiculari dicebat circumſtare SS. Nomen JEſu quinduplici, nullo tamen modò, benè ac legitime formatum, conſequenter eo ipſo rejicienda.

In tertia orbiculari figura hæc, inquiebat, legi verba: *Ze, Schemo, Lengolam, Vaze, Zechri*, queis Linguarum periti ſignificari ajunt: *ita* (ſcilicet abolitus) *ſit Nomen & Memoria Ejus.* ſicut &

In quarta figura orbiculari hæc verba: *Ben, Bar, Jeled, Bin, Schul*, idem, quod priora, ſignificantia: Item

In quinta orbiculari figura ſequentia haberi verba: *Hebeſch, Keſcheb ſe, Jon Rachel*, quibus irriſoriè Chriſtus ovis, aries, agnus &c. dicitur.

Sub facie Chriſti hæc cerni: *Lechem panim*, id eſt *panis faciérum*; quibus videntur velle

velle indicare, Chriſtum tam parùm eſſe in ſacratiſſima Hoſtia, quàm olim in antiquo Teſtamento fuerit ſub ſuo pane propoſitionis, utpote qui pari ratione *panis facierum* dici potuiſſet, ſi figuram faciei habuiſſet.

In Crucis ſigno à parte dextra huius primæ figuræ collocato verba hebraica mendoſiſſimè ſcripta reperiri, quæ ſignificant: *Mi camorha baëlim*; *Jehova*, ex lib. Exod. c. 15. v. 2. deſumpta: *Quis ſimilis tui in fortibus Domine.* Legitur etiam latinè ſcriptum *Machabæi*, ad denotandum, Filios Matathiæ in Vexillis ſuis eadem habuiſſe impreſſa: Quarè cùm verba non benè ſint formata, atque exinde timendum, ne potiùs hebraicis ipſis characteribus mendoſiſſimè exaratis, quàm Vexillo Crucis Chriſti vis & efficacia tribuatur, cum cæteris etiam hoc ſignum ibidem cenſebatur non eſſe admittendum.

Dices: Si prima hæc figura eſt rejicienda, tunc pariter rejici debent duæ orationes ibidem contentæ, quarum prima incipit: *Ecce Crucem † & Nomen Domini.* Altera: *Hel*, † *Heloym* † *Soter* † *Emmanuel* † *Sabaoth* † *Agla* † *Adonai* † &c. Atqui hæ duæ Orationes non ſunt rejiciendæ: ergo. Min. probatur: ſi enim dictæ Orationes forent rejiciendæ, vel deberent rejici, quia ibidem continentur Nomina Divina ſub lingua aliena, puta, *Hel*, *Heloym*, *Emmanuel*,

*nuel*, *Sabaoth Adonai* &c. Vel quia ponitur DEus ſub Nomine *Deus Deorum*, *Ens Entium*, *cauſa cauſarum* &c. vel quia reperitur cabaliſticum *Agla*, quo Judæi frequentiſſimè abutuntur ad varias ſuperſtitiones &c. ſed propterea dictæ orationes non ſunt rejiciendæ: nam quid id totum obeſt pietati orationis? Nunquid ibidem etiam, & quidem ab initio ſtatim ponitur *Crux Chriſti*, *ac Nomen Domini*? & quis prohibebit alia ſacra Nomina DEI, vel Beatiſſimæ Virginis Mariæ, aut Sanctorum addere? Nunquid non etiam in Pſalmis habetur: *DEus Deorum locutus eſt* &c.? Num DEO injuria infertur, ſi contra ſuperbiſſimum ſpiritum, qui voluit eſſe ſimilis Altiſſimo, nos humili, ac devota aliqua oratione & veneratione agnoſcimus DEum tanquam cauſam cauſarum, & primum Ens, à quo omnia reliqua in fieri & conſervari dependent, humiliter deprecantes, ut ſua virtute hoſtis infernalis inſidiæ annihilentur? Item nunquid non etiam Eccleſia ad finem Adventûs DEum inclamat: *ô Emanuel! ô Adonai!* & Eundem die Paraſceves ſub adoratione Crucis veneratur ſub peregrinis Nominibus *Agios*, *ô Théos*, *Athánatos*, *Iſchyrós &c.*?

Num S. Scriptura eſt prohibenda ex eo, quia hâc Hæretici abutuntur? Cur ergo propter Nomen cabaliſticum ac Myſterioſum *Agla*, quod in ſe ſanctum eſt; & idem

idem ſignificat, ac *Tu fortis in æternum Domine*, tota oratio ſuperſtitionis arguatur ex eo, quia Judæi ex propria ſua malitia hoc Nomine abutuntur. O quoties Striges & Magi rebus etiam ſacratiſſimis abutuntur, ergóne res ſimiles ſunt propterea rejiciendæ, & prohibendæ Fidelibus, ne in veneratione habeantur? Neutiquam. Profectò ſi Chriſtus ipſemet dixit, hoc genus dæmoniorum non exit, niſi in oratione &c. illa erit fortiſſima contra dæmonem oratio, quæ ex S. Scriptura, tanquam Verbo DEI, deſumitur. Ne deterreant te ſejunctim collocatæ illæ litteræ: *Jod*, *He*, *Vau*, *He*: etenim ut compoſitæ nil aliud ſignificant, quàm *Jehovah*, ſeu DEum ineffabilem, ac Tri-Unum. Videatur deſuper Caſparus Schott S. J. in ſuo Tract. de Mirabilibus Cabaliſticis Part. 2. cap. 11.

Reſpondetur ad hanc objectionem: Quidquid ſit de Rationibus in minori adductis, & pluribus forſan adducendis, ob quas aliqui dictas ſaltem orationes defendi poſſe putant, prout ipſe celeberrimus Exorciſta Candidus Brognoli tom. 2. de Maleficiis Diſput. 4. Part. 3. cap. 1. folio apud me 311. in ſpecie Nomen illud *Agla* non reprobat, & ſecunda oratio apud Sannig non ſolùm ab Ordine, ſed etiam ab Archi-Diœceſi Pragenſi approbata reperitur: Totam nihilominus hanc figuram

tam propter ſuſpectos characteres, quàm alias Rationes, in Actis allatas, ideò vel maximè videri eſſe reprobatam, quia bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu, præſertim in Amuletis, ubi quo ſanctior aliqua res exiſtit, eò major ipſi infertur injuria, ſeu irreverentia, ſi cum alia ſuperſtitioſa & mala commiſceatur.

*Altera Figura reprobata.*

Hæc Figura juxta Relationem Peritorum linguarum ſub N. 1. magica ſigna theſauros fodientium ex Agrippa (cujus liber eſt inter primæ Claſſis prohibitos) deſumpta continet: ſunt autem ſigna hæc mira, etiam in lingua hebraica, chaldaica, & ſyriaca verſatis incognita, conſequenter ex prudenti opinione ceu ſigna diabolica à Chriſtiano deteſtanda.

Numero 2do hujus figuræ memorati Theologi tribuunt eandem cenſuram: eo quòd, ipſis referentibus, præter DEI Nomina vitioſiſſimè ſcripta, immiſta ſint plurima vocabula barbara, ſoli fortè diabolo, vel etiam ejus aſſectis nota, & hinc meritò de ſuperſtitione ſuſpecta.

Sub N. 3. contenta exhibent juxta eosdem, duo ſigna Strygum, cum verbis: *cara, phara, feſta, tuta, mita, maſta*, quæ idem ac ly *plictri* ſignificant: nil ergo aliud ſunt, quàm diaboli figmentum, præſertim cùm circiter triginta abhinc annis Auguſtæ Vindelicorum Vetula quædam, quæ paſſim pro

ſaga



N. 1.

r Adonay Heley N. 2.
Agla, Liga Lena
heos, Iſchiros,
n Excelſis Ori-
on Oreyſteon,

Factus Eſt †
nti † in unitate

nine ſuper nos,
Que Phara ✠ Feſta †



Laus Mita ✠ †Meſſa†

N.



N. 3.

iis-
mò
ad

, è
ſte-
par-
po
un-
lit-
atis
ræ-
ſus
( de
ap-
s in
us,
ras,
quo
ſo-

no-
A †
one
na-

De

tan
ali
ma
nu
deſ
ſan
inſ
ali

rur
ſau
eſt
pta
eti
ria
pru
Ch

Th
co
Nc
plu
bol
me
S
der
*pha*
*plic*
dia
ter
lic

ſaga habita, ac demum combuſta fuit, iisdem referatur fuiſſe compellata: quinimò iisdem pueri ſuperſtitiosè uti dicantur ad ſagas cognoſcendas.

Sub N. 4. cernitur Crux hiſpanica, è cujus utraque parte leguntur varii caracteres, qui partim in Cruce S. Benedicti, partim in cruce, ſancto Zachariæ Epiſcopo Hieroſolymitano attribui ſolita, reperiuntur; quia tamen ad extra apponuntur litteræ aliquæ non ſatis cognitæ, præfatis Theologis reprobandæ videbantur: præſertim, quòd, quia dato etiam, quòd uſus totius hujus Crucis authenticus eſſet (de quo non ſatis conſtat) tamen hìc malè applicaretur, cùm conjungatur pluribus in eadem ſcheda contentis ſuperſtitionibus, ut proinde dici oporteat: *quid luci ad tenebras, & quæ comparatio Chriſti ad Belial?* De quo vide ſuperiùs circa primam figuram in ſolutione objectionis.

*Figura tertia reprobata.*



† Cara † Phara †
† Feſta † Tuta †
† Mita † Mæſta †
† I. † N. † R. I. †
Verbum Caro factum eſt & habitavit, in nobis † MARIA †
In Conceptione tua Virgo Immaculata fuiſti.

De

De hac, in qua denuò reperiuntur illa verba: *cara, phara, feſta, &c.* abunde dictum fuit in præcedentibus. Cæterùm an duæ figuræ, ſex Angulos habentes, ubi in una Nomen *Jehova*, in altera *Adonai*, utrobique autem in medio ſignum T. exprimitur, ſint rejiciendæ etiam ſeparatæ ab illis verbis, *cara, phara, feſta, &c.* altiori Judicio ſubmitto. Illi, qui talium figurarum adhuc Patronos agunt, quamlibet figuram fieri ex duplici Triangulo △ Myſterium ſacratiſſimæ Trinitatis figurante contendunt, & quia quodlibet ſacrum Nomen (nimirum *Jehova, & Adonai*) tanquam DEO proprium juxta noſtram computationem ſex continet litteras, cuilibet litteræ unum angulum attribuunt, volentes ſic Trinum DEum ac Dominum exprimere. Signum autem Tau, quo multa millia in Apocalypſi videbantur ſignati, SS. Crucis Myſterium (inquiunt) exprimit, quo pariter Seraphicus Pater ſignabatur, prout legitur in ejus officio SS. Stigmatum die 17. Sept.

Crucis ſignum Tau Littera
Fronti Franciſci ſcribitur,
Quæ variè diſtinguitur
Miranda lucis operâ.

### *Figura Quarta reprobata.*

De hac figura, & quæ circa eam dicta ſunt, videantur c. 2. q. 4. á n. 45.

Præſens




Heley, Heloy,
Tetragr erbum Gloria
Sabaot s, Ymos Eley-
Lux Imm abaton. Iſiſton
ſon, Po Annoyſeron,
Alfa :

Lamath †
unitate

uper nos,

I † Feſta †

Quemad



Meſta †

Laus De

Præſens figura principaliter exhibet Triangulum adinvicem inſertum, & ex Angulis quinque conſtantem, ac quaſi quinquies litteram A. repræſentantem. Ubi pro clariori notitia advertendum ex libello de 5. vulneribus Chriſti P. Guilielmi Wael S. J. fol. m. 125. quòd Antiochus quondam ΣΩΤΗΡ, ſeu *Salvator* ( prout teſte V. Beda in feſto Expectationis B. V. M. idem *JEſus* ſignificat) communiter dictus fuerit. Hic, cùm quondam in diſcrimine verſaretur, ut animos militum in ſpem erigeret, ajebat, ſe per quietem vidiſſe Alexandrum Magnum monentem, ut hanc ipſam figuram, ex quinque Angulis formatam, pro ſalutis ac victoriæ ſymbolo aſſumeret, idque pro Teſſera Tribunis daret, cui inſcripta fuerat ΥΓΕΙΑ, id eſt *Salus* ita ut in quolibet Angulo unica talis littera collocaretur.

In hoc equidem ſenſu figura iſta plena eſt ſuperſtitione. Aſt idem Author tam in cupro libelli frontiſpicio præfixo, quàm in libro fol. 228. hanc ipſam antiquiſſimam & vulgatiſſimam figuram, quinque SS. Chriſti vulneribus, ex quibus vera nobis *Salus* fluxerat, applicat, ac fuſius declarat, ac tanquam ſanctum propugnat. Hinc eandem, in ſe ſumptam nollem quidem impugnare, Diſplicet tamen ex eo, quia præter eandem adhuc

plura

plura alia ignota, & ex parte jam antea â Celſiſſimo reprobata uti *chara*, *phara*, *feſta* &c. & alia incognita annexa inveniuntur. Periculum præterea eſt, ne à multis malevolis tanquam ſignum Antiochi diſtribuatur ad circumveniendos ſimpliciores.

Et hæ ſunt figuræ, hæc ſigna, quæ facta relatione Reverendiſſimi Conſiſtorii, junctis peritis in lingua Hebraica, Syriaca, ac Chaldaica, ab Altefato Celſiſſimo & Reverendiſſimo Principe ceu ſolertiſſimo animarum Paſtore de latenti aliquo ſuperſtitionis ac blaſphemiæ veneno ſuſpecta in ſua Diœceſi prohibita, ac proſcripta fuêre.

# Index rerum omnium Partis Secundæ.

Prior numerus paginam, alter numerum marginalem indicat.

## A.

ABortûs maleficium. 20. 15 quomodo deſtruendum. 121. 90
Accenſo lumine an ſpectra pellantur? 228. 176
Accuſans criminaliter maleficum, an irregularis? 138. 101
Actus deteſtationis diaboli. 116. 85
Adjuratio in SS. Nomine JEſu facta potiſſima eſt ratio dignoſcendi ſpectra. 187. 139. Item 195. 141
Aerei dæmones. 177. 130
Agni DEI, ſeu ceræ papales appendendæ maleficiatis 138. 100 ſunt efficax contra ſpectra mala remedium. 215. 160
Amatorium maleficium. 11. 6
Amuleta ſuſpecta, præſertim à vetulis, circumforaneis & carnificibus accepta, eliminanda. 113. 83 à diverſis prohibitis figuris expurganda. à fol. 290.
Angelus malus ſe in Angelum lucis transformat. 186. 138 Angeli boni quomodo à malis dignoſcendi. 186. 139 Angeli mali quomodo

modo ex domibus, aliíſque locis expellendi. 197. 143
Animalia bruta maleficiis obnoxia. 155. 114 quomodo à maleficiis liberanda. 115. 114 & ſeq.
Animæ damnatæ apparent rariſſimè. 180. 132 Qua ratione à dæmonibus diſcernendæ. 195. 142 Quomodo ex locis infeſtatis expellendæ. 230. 179
Animæ purgatorii raro apparent. 182. 135. Quibus potiſſimùm hominibus. 184. 136 quibus in locis. 185. 137 quomodo à dæmonibus diſcernendæ. 195. 142 quibus remediis liberandæ. 232. 181
Apparitiones animarum ex pacto ſunt ſatis periculoſæ. 237. 184
Aqua benedicta efficax contra dæmones remedium. 214. 175
Aquâ calidâ abluendi malefici. 135. 99
Aquatici dæmones. 177. 130
Artificialia ſpectra. 175. 128
Averſionis frumenti maleficium. 21. 16 quomodo deſtruendum. 127

B.

BAlnei benedicti virtus contra dæmones. 168. 120.
Benedicere quid ſit. 166. 119. res benedictæ unde effectum habeant, & cur eo quandoque fruſtrentur. 167. 119
Benedictio data cum V. Sacramento efficax contra ſpectra remedium. 214. 158

Benedictio aquæ contra maleficia fol. 250
Aquæ Ignatianæ, uti vulgò vocatur. 251
Balnei, unctionis, medicinæ, vel brodii medicati 253. alia Balnei pro maleficiatis. 254.
Cereviſiæ, vini, vel alterius potabilis materiæ. 255.
Cujuscunque comeſtibilis. 256.
Crucis ſimplicis. 256.
Cubiculi. 257.
Domûs novæ. 258. Item 259.
Fontis, ſeu putei. 262.
Fœni paſcuorum, ſalis, & aquæ pro animalibus à maleficio liberandis, ac præſervandis. 262.
Communis ſupra fruges & vineas. 263.
Herbarum quocunque tempore. 264.
Iconum, ſeu Imaginum DEI & Sanctorum. 266.
Pro infirmis præſertim febricitantibus. 267.
Beati Salvatoris ab Horta contra febres. 272.
Venerab. P. Joannis de S. Guilielmo ſuper infantes infirmos. 272.
Lecti pro maleficiatis. 274.
Generalis cujuscunque loci. 276.
Quarumcunque medicinarum. 276.
Medicinæ, vel cujuscunque comeſtibilis. 277
Olei ſimplicis. 280.
Olei contra maleficia. 282.
Olei ex lampade cujuscunque Sancti, quo ungantur infirmi. 283.
In peſte animalium. 284.
Salis pro animalibus. 284.

Thala-

Thalami. 119. 87
Thuris ſeu incenſi, 286.
Veſtimentorum. 287.
Blasphemiis an, & quæ ſpectra pellantur. 222. 168
Butyri faciendi maleficium. 20. 15. quomodo deſtruendum. 124. 92.

C.

CAuſa & ratio maleficii infantium. 111. 83
Cauſæ morales maleficii. 17. 12
Characteres diverſi ad ſuperſtitiones adhibentur. 59. 43
Chirographa facta dæmonem inter & maleficum. 143. 104 an neceſſariò repetenda. 144. 104. quomodo deſtruenda. 148. 107 qua ratione à dæmone repetenda. 152. 112.
Confeſſio maleficorum. 140. 103.
Confeſſarii ſuo munere indebitè functi poſt mortem damnati in forma luporum comparentes. 196. 142
Convitiis, & diris imprecationibus an ſpectra pelluntur. 222, 168
Corpora à dæmonibus aſſumpta frigida ſunt. 194. 141
Crimina excepta à quovis ſine irregularitate denuntianda. 139. 101
Crucis ſignum efficax contra dæmones remedium. 213. 156
Curatio diabolica maleficiorum. 35. 29. eſt intrinſecè mala. 38. 30. quænam curatio-

nes

nes in particulari ſuperſtitioſæ. 46. 38
Cuſſinum non licet dejicere intentione ſtrigem vexantem retinendi. 100. 74

D.

DÆmones ignei vel ætherei, aërei, aquatici, terreſtres, domeſtici, ſuccubi & incubi. 177. 130. à maleficis pœnitentibus non timendi. 147. 106 quomodo animalia bruta maleficiis lædant. 155. 114 an & quomodo pluvias, grandines excitent. 159. 116 nequeunt homines veraciter in beſtias transmutare 179. 131 quomodo eos in beſtias transmutare videantur. ibi. ad ſpeciem optima conſulunt. 183. 135 in Angelum lucis ſe transformant. 186. 138 domos, arces, aliáque loca infeſtant. 197. 143 dæmones vitro, anulo, vel vaſculo incluſi quomodo tractandi 238. 185
Dæmoniaca ſpectra. 177. 130. qua ratione pellenda. 197. 143 & ſeqq.
Deſtructio ſignorum maleficorum licita. 87. 62. non tamen neceſſaria. 91. 65 imò nec abſolutè conſulenda. 92. 66
Divina maleficiorum curatio quid ſit. 85. 60
Domus à ſpectris diabolicis infeſtata quomodo expurganda. 197. 144 & ſeqq. quomodo præſervanda. 216. 162

E.

EPilogus opuſculi hujus benè conſiderandu 242. 188

Exorciſmis faciliùs, quàm rebus benedictis curantur maleficia. 104. 79
Exorciſmus ad maleficium parvulis illatum deſtruendum. 110. 82
Exorciſmus ad maleficium in Matrimonio factum deſtruendum 117. 86
Exorciſmus ad maleficia in thalamo vel lecto facta deſtruenda. 120. 88
Exorciſmus ad diſſolvendum maleficium difficilis partûs, abortûs, & lactis exſiccationis. 123. 91
Exorciſmus ad deſtruendum maleficium impedimenti butyrizationis. 126. 93
Exorciſmus ad deſtruendum maleficium frumenti averſionis. 128. 95
Exorciſmus ad deſtruendum maleficium diverſorum morborum. 132. 98
Exorciſmus ad repellendum dæmonem obſidentem, præſertim à maleficis taciturnitatis maeficiô linfectis. 136. 100
Exorciſmus ad repellendum dæmonem â maleficis pœnitentibus. 144. 105
Exorciſmus contra dæmonem infeſtantem eum, qui chirographi cautione animam ſuam eidem ſubſcripſit. 151. 111
Exorciſmus ad compellendum dæmonem ad chirographum datum reſtituendum. 153. 113
Exorciſmus ad expellendos dæmones ab animalibus. 157. 115
Exorciſmus contra imminentem tempeſtatem fulguris, grandinis &c. 160. 117 alius brevior. 165. 118

Exorc

Exorciſmus probativus ad cognoſcendum, an dæmon locum quemdam infeſtet. 200. 146
Exorciſmus ad dæmonem ex loco infeſtato expellendum. 204. 148. quid ejecto dæmone faciendum. 209. 151
Exorciſmus probativus, an dæmon ex loco infeſtato ſit expulſus. 209. 152
Exorciſmus ad dæmonem annulo, aut alteri vaſculo incluſum expellendum. 241. 187
Exorciſta quomodo dæmones ex locis infeſtatis ejicere valeat. 198. 144

F.

FAſcinatio alia poëtica, alia naturalis, alia magica. 13. 8
Fæmina ob luxum veſtium poſt mortem nuda apparuit à duobus lupis comitata. 196. 142
Fides firma ad tollenda maleficia neceſſaria. 102. 77. & ſeqq. dæmones ex loco infeſtato repellit. 213. 154
Figuræ ſuperſtitioſæ ad maleficia curanda adhibitæ. 60. 43
Figuræ ſuperſtitioſæ contra grandines. 63. 44 item 64. 45
Figuræ in Diœceſi Friſingenſi reprobatæ. 289 & ſeqq.

G.

GLadiis & lanceis an ſpectra pellantur. 223 171
Grandines & pluviæ à dæmone excitatæ. 159. 116

Gregorius IX. ſub excommunicatione jubet deferri maleficos. 139. 101

H.

HAlitu ſolo inficiunt malefici. 16. 5
Herbæ diverſæ, olea, maleficiatis non ſemper proficiunt. 173. 125
Herbis, plumis, feſtucis nocent malefici. 9. 5
D. Hilarion maleficii ſigna non deſtruit. 88. 63
Hiſtoria mirabilis dæmonis ex loco infeſtato expulſi. 206. 150
Homo in beſtiam à dæmone transmutatus. 179. 131
Hoſtiam conſecratam cuti carnis inſanant malefici, 135. 99
Hoſtile maleficium. 11. 6
Humana ſpectra. 175. 128 quomodo pellenda, 176. 129

I.

JEſu & Mariæ Nomen efficax contra ſpectra diabolica remedium. 215. 159
Igne benedicto concremanda maleficii ſigna. 96. 69
Ignei, vel ætherei dæmones. 177. 130
Ignes fatui ſpectra eſſe videntur. 175. 128
Imprecationibus diris an ſpectra pellantur. 222, 168
Incantatores quinam dicantur. 7. 2
Infantes ſignô Crucis à Parentibus muniti à maleficiis immunes. 112. 83 quomodo à maleficiis

leficiis curandi. 106. 80 quomodo præſervandi. 111. 83
Infirmi per præceptum à tentatione diabolica protegendi. 221. 166
Ingeſtionis rerum ſolidarum in corpus maleficium. 22. 17 quomodo contingat. 23. 18. quomodo deſtruendum. 133. 98
Innocentius IV. jubet ſub Excommunicatione accuſare maleficos. 139. 101
Judicibus licet lavare maleficos, radere pilos, aut eos in aheno, vel caldario conſervare. 99. 73.

L.

LActis exſiccationis maleficium, 20. 15 quomodo deſtruendum. 121. 90.
Lamiæ quæ, & unde dictæ. 7. 2
Lanceis & gladiis an ſpectra pellantur. 223. 171 an licitè lædantur. 227. 175
Lares quid. 178. 130
Loca quænam ordinariè á ſpectris infeſtata. 185. 137 quomodo expurganda. 197. 143 quomodo præſervanda. 216. 162
Lumine accenſo an ſpectra pellantur. 228. 176

M.

MAgi quinam dicantur. 6, 2
Magica ſpectra. 179: 131
Malefici diverſimodè nocent. 9. 5 an à dæmone poſſeſſi. 139. 102 quomodo pœnitentes à dæmone liberandi. 139. 102. & ſeqq. quomodo præſervandi. 147. 106

Maleficium quid ſit. 5. 1. Ejus varia nomina ex diverſis effectibus deſumpta. 6. 2
Maleficium aliud naturale, aliud præternaturale, aliud mixtum. 7. 3. & 4.
Maleficium aliud ſomniferum, aliud amatorium, aliud hoſtile. 11. 6
Maleficium venenarium quid, & quomodo fiat. 16. 11 revera datur, 18. 13
Maleficium abortus, difficilis partûs, lactis exſiccationis, impedimenti butyrizationis. 20. 15. frumenti averſionis. 21. 16 ingeſtionis rerum ſolidarum in corpus. 22. 17 quomodo fiat. 23. 18
Maleficium ligaminis. 24. 20 quomodo fiat. 25. 20. aliud abſolutum, aliud reſpectivum. 25. 20. ſigna illud dignoſcendi. 26. 21. quomodo deſtruendum. 114. 84
Maleficium adhæſionis corporalis. 27. 22
Maleficium devovendi. 27. 23
Maleficium diverſorum morborum. 29. 25
Maleficium taciturnitatis. 28. 24
Maleficium aliud perpetuum, aliud temporaneum. 31. 26
Maleficium an per aliud maleficium ſolvi poſſit. 34. 27 an licitè ita ſolvatur. 36. 29 item 38. 31 & ſeqq.
Maleficium an licitè per vana, & inutilia tollatur. 42. 36
Maleficii latentis ſigna ubi perquirenda. 96. 69
Maleficia ſingula quomodo per Exorciſmos deſtruenda. 101. 76 & ſeqq.

Male-

Maleficium quomodo dignoſcendum ab infirmitate naturali. 70. 48
Maleficium mixtum etiam naturalibus remediis curandum, 105. 79
Maleficus à quo criminaliter accuſandus. 139. 101
Media licita diſſolvendi maleficia, quomodo ab illicitis dignoſcenda. 43. 37. quænam in particulari ſuperſtitioſa. 47. 38.
Media ſuperſtitioſa dignoſcendi morbum maleficum à naturali. 49. 39
Modus deſtruendi maleficium infantium. 106. 80
Modus parvulos à maleficiis præſervandi. 111. 83
Modus deſtruendi maleficium in Matrimonio factum. 114. 84
Modus conjuges à maleficio præſervandi. 121. 89
Modus deſtruendi maleficium abortûs, difficilis partûs, lactis exſiccationis. 121. 90
Modus tollendi maleficium impedimenti butyrizationis. 124. 92
Modus tollendi maleficium frumenti averſionis. 127. 94
Modus curandi maleficium diverſorum morborum. 130. 96
Modus procedendi cum ſagis cum dæmone pactum habentibus, ſed pœnitentibus. 139. 102
Modus procedendi cum illis, qui datô chirographô ſe dæmoni devoverunt. 148. 107

Modus animalia bruta à maleficiis liberandi. 155. 114 & ſeqq.
Modus deſtruendi maleficia pluviarum, & grandinum à dæmone excitatarum. 159. 116
Moralis maleficiorum curatio quid ſit. 85. 60 licitè fit per deſtructionem ſignorum. 87. 62 deſtructio tamen non eſt neceſſaria. 91. 65 nec abſolutè conſulenda. 92. 66 per accidens non rarò periculoſa. 94, 68
Morbi quinam ex maleficio provenientes. 29. 25

## N.

NAturale maleficium. 7. 3 quomodo curandum 71. 49
Naturalia ſuffumigia an ſpectra pellant. 228 177
Naturalia an habeant virtutem directam curandi maleficia naturalia. 71. 49 & 50. item an habeant virtutem curandi maleficia præternaturalia. 72. 50 an habeant vim directam pellendi dæmones. 76. 53 an intentionalem. 79. 55
Naturalia ſpectra quid. 175. 128
Numiſmata S. Benedicti non ſunt ſuperſtitionis arguenda. 67. 46

## O.

ODoribus & ſuffumigiis, an ſpectra pellantur. 228. 177

Olea & unguenta diverſa non ſemper maleficiatis proficua. 173. 125
Oratio germanica à Parentibus infantium maleficiô infectorum recitanda. 106. 81
Oratio ante Exorciſmum ſuper infante maleficiato recitanda. 109. 81
Oratio germanica ad ſolvendum maleficium Matrimonii. 115. 85
Oratio germanica pro deſtructione maleficii diverſorum morborum. 131, 97
Oratio germanica ab illo recitanda, qui chirographô datô ſe dæmoni devovit. 150. 110
Oratio germanica ad dæmonem ex loco infeſtato expellendum. 202. 147
Oratio & jejunium efficax contra ſpectra diabolica remedium. 215. 161
Oratio præparatoria ante quamcunque Benedictionem. 249
Orationes facta expulſione diaboli ex loco infeſtato recitandæ. 211. 153

## P.

PArentes locò infantium fidem elicere debent, 106. 80. item fol. 245
Partûs difficilis maleficium. 20. 15 quomodo deſtruendum. 121. 90
Peccata maleficorum. 140. 103
Perſonæ maleficæ an à dæmone poſſeſſæ. 139. 102

Peſtis quandoque à dæmonibus cauſata. 158. 115
Pharmaceutriæ, quæ, & unde dictæ. 7. 2
Pili omnes licitè abraduntur ſtrigibus. 135. 99
Pluviarum & grandinum maleficia. 159. 116
Poſſeſſiones diabolicæ à maleficio diſcrepantia. 8. 3
Præceptum à B. Virgine dæmoni factum. 205. 149
Præceptum in SS. N. JEſu factum omnia ſpectra pellit. 218. 164. ſagas & maleficos inermes reddit. 219. 165
Præceptum ſcriptum contra dæmones maximæ efficaciæ. 221. 167
Præſepia, ſtabula &c. rebus benedictis à maleficiis præſervanda. 158. 115
Præternaturale maleficium. 8. 3
Pulveribus in cibum & potum injectis nocent malefici. 9. 5
Purgantes animæ quomodo à ſpectris dæmoniacis dignoſcendæ. 190. 140 quomodo adjuvandæ 232. 181 & ſeqq.

R.

Recipe pro forma Balnei. 169. 121 pro maſſa nigra. 169. 122 pro forma olei ſeu unguenti. 170. 123 pro forma fumigationis. 172. 124
Regulæ in Benedictionibus dandis obſervandæ. 244

Regu-

Regulæ dignoſcendi media licita à ſuperſtitioſis 43. 37
Reliquiæ Sanctorum maleficatis applicandæ. 138. 100. dæmones ex loco infeſtato expellunt. 213. 155
Remedia ſpiritualia contra ſpectra diabolica 213. 154
Res benedictæ cur quandoque effectu fruſtrentur. 167. 119 iis etiam malefici inficiunt. 10. 5
Res fœtidæ maleficiatis nocivæ. 81. 57
Ritualia non abſolutè jubent perquiri maleficii ſigna. 96. 70

S.

SAcerdotes etiam mali cum fructu benedicunt. 166. 119
Sacra quædam verba ad ſuperſtitionem applicantur. 55. 41
Sagæ unde dictæ. 7. 2
Sagæ infantes à Parentibus ſignô Crucis communitos lædere nequeunt. 111. 83 infantibus à maleficio liberatis inſidiantur. 113. 83
Signa poſiti maleficii non ſunt infallibilia, 17. 12
Signa cognoſcendi maleficium ligaminis. 26. 21
Signa maleficii alia certa, alia probabilia. 5. 1
Signa maleficiii latentis ubi perquirenda. 96. 69. igne benedicto concremanda. ibi.

Signa

Signa contraria apponere licet, ut deſtruatur maleficium. 98. 71 niſi poſitivus inde ſperetur effectus. 99. 72
Signa dignoſcendi Angelos bonos à dæmonibus. 186. 139
Signa dignoſcendi ſpectra diabolica ab animabus purgantibus. 190. 140
Signa dignoſcendi ſpectra diabolica à magicis, & animabus damnatis. 193. 141
Somniferum maleficium. 11. 6
Sortilegi quinam dicantur. 7. 2
Spectra quid ſint. 174. 126 quotuplicia ſint. 175. 128
Spectra animarum damnatarum rariſſimè apparentia. 180. 132 Item 182. 135
Spectra animarum purgantium rarò. 281. 134
Spectra dæmoniaca & magica frequentiſſima. 182. 135 in quibus potiſſimum locis appareant. 185. 137
Spectra diabolica quomodo à locis infeſtatis ejicienda 197. 143
Spectra magica quomodo ex locis infeſtatis exterminanda. 217. 163 an gladiis, aliisque armis lædantur. 225. 174 an licitè lædantur. 227. 175
Spectra an lumine accenſo arceantur. 228. 176 an odoribus, & ſuffimentis pellantur. 228. 177
Spectra animarum damnatarum quomodo expellantur. 230. 179 an in loca deſerta, & lacunoſa mittenda. 232. 180

Sta-

Stabula, præſepia &c. rebus benedictis à maleficiis præſervanda. 158. 115
Striges quæ, & unde dictæ. 7. 2
Striges & ſagæ taciturnitatis maleficiô infectæ, quomodo curandæ. 134. 99
Suffumigiis an ſpectra pellantur. 228. 177
Superſtitio an poſſit committi in rebus ſacris, & quomodo. 68. 47.
Superſtitionis damnantur varii characteres & figuræ. 59. 43
Superſtitioſæ curationes quæ ſint. 38. 30. & ſeqq.

## T.

TAciturnitatis maleficium. 28. 24. quomodo tollendum, præſertim in ſtrigibus & ſagis à Judice torturæ ſubjectis. 134. 99
Tempeſtates, grandines à dæmone excitatæ. 159. 116
Terreſtres dæmones. 177. 130
Textus S. Scripturæ ad fidem roborandam conducentes. 103. 78

## V.

VEneficam percutientem licet repercutere. 99. 73
Venefici quinam dicantur. 6. 2
Venenariô maleficiô plures interficiuntur. 18. 13

Verba ſacra ad ſuperſtitiones adhibentur. 55. 41. & ſeqq.
Verbis ſolis â maleficis graviſſima cauſantur mala. 10.5
Veſtibus benedictis induuntur ſagæ torturæ ſubjiciendæ. 135.99.
Unguenta diverſa non ſemper maleficiatis proficua. 173.125

# Errata ſic corrige.

Fol. 25. lin. 17. ineptum. lege impeditum.
fol. 104. lin. 23. hæc ecce & plurima verba leg. & plura ſimilia.
fol. 117. lin. 20. procurandos leg. procreandos,
fol. 129. lin. 12. comprobatur leg. comprobatus.
fol. 147. lin. 8. de ſequentibus leg. ſequentibus.
fol. 181. lin. 25. præferunt, leg. an non præſeferunt.
fol. 242. lin. 29. Mariæ, leg. Mariam.
fol. 247. lin. 21. quare leg. ſeptimò.
fol. 254. lin. ult. affuiſſe. leg. adſuiſſe.

Reliquos errores ob abſentiam Authoris in typo commiſſos prudens Lector ipſe facilè corriget.

Benedictio q[uo]m[cum]q[ue] rerum quarumcunqe.

℣. Adjut: ℟. D[omi]n[u]s vobiscum ℟.

oremus.

Benedic ✠ D[omi]ne Creaturam istam N: ut salutare remedium sit Creaturæ tuæ, quam pretioso sanguine redemisti, et esta [per] invocationem tui sancti nominis, et S: N: servi Dei, ut quisquis ea usus fuerit, benedictionem recipiat, et sanitatem, atque contra o[mn]es morbos, atque universas insidias Diaboli, et inimicorum tutamen sit: et ego N: tuus Sacerdos in nomine tuo, et S: N: hanc Creaturam, N: benedico ✠, et sanctifico ✠, ut sit defensio Creaturis tuis, et ignis ardens Daemoniorum, et sit defensio, et expulsio, atque annihilatio om[n]ium facturarum, et Diabolorum. In nomine Patris ✠. [etc.]